

# PALAESTRA

## LATINA



ANN XXXIII (Fasc. III) – N. 183  
M. SEPTEMBRI – A. MCMLXIII

# PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii BARCINONE edendi

**PRETIUM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:**

**Lauria, 5 . Apartado 1042 - BARCELONA (10)**

**vel ad Procuratores singularum nationum**

**Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - Barbastro (Huesca)**

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

PALAESTRA ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 25 pesetis; in Gallia: 3'5 francis; in Italia: 350 libellis; in Germania: 2'5 marcis; in reliquis civitatibus: 0'80 dollaris.

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

## INDEX

ANN. XXXIII (Fasc. III) N. 183

M. SEPTEMBRI A. MCMLXIII

J. JIMÉNEZ, C. M. F., <i>De discrepantia seu de concordantiae defectu</i>	121
C. EICHENSEER, O. S. B., <i>De nominibus machinarum quarundam recentiorum.</i>	133
A. PAGANO, <i>Aegrotat Pater Communis, Benignus Papa Johannes.</i>	130
J. AMBROSI, <i>Iter Dantis in Deum.</i>	143
L. M. SANSEGUNDO, O. S. B., <i>Nova et Vetera: De familiae stirpe sive de genealogia.</i>	148
N. LUSITO, O. M., <i>Quo scribendi genere in maioribus Religiosorum conventibus utendum.</i>	153
C. A. EICHENSEER, <i>Mortem obiit J. Rubenbauer.</i>	155
J. ARAMENDIA, C. M. F., <i>Per Orbem.</i>	97
BIBLIOGRAPHIA, A. Marqués, I. González, F. Aloise. C. Latorre, Philoponus, J. M. Mir, J. Aspa.	159
PALAESTRA ADULESCENTIUM	
N. Mangeot, S. J., <i>Josephus, puerulus, pauper telegramma ad Deum mittit</i>	169
<i>Josephus M.<sup>a</sup>, Zeuxis et Parrharius.</i>	171
<i>Jesus C., Plautus.</i>	171
<i>Saguntum, urbs opulentissima ab Hannibale deletur.</i>	172
M. N. Huxley, <i>Aenigma Vergilianum.</i>	174
N. Mangeot, <i>Litterae tempus diuturnum requirunt.</i>	174
F. Salas, <i>Solvitur acris hiems.</i>	175
Gr. Joseph, <i>In schola.</i>	175
J. Aramendía, <i>In montem.</i>	176
A. Costa, <i>Ad saltum equi. — Solutiones.</i>	176
P. Codina, <i>Triangulus magicus. — A. Gil, Infantilia.</i>	176

# PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII  
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

---

ANN. XXXIII (FASC. III) — N. 183

M. SEPTEMBRI

A. MCMLXIII

---

## De discrepantia seu de concordantiae defectu

Grammatici omnes de concordantia agunt seu de vocum congruentia regulasque statuunt quibus attributum et verbum cum subjecto conveniat, adjectivum nomenque appositum cum substantivo, relativum cum antecedente; non omnes vero de discrepantia seu de concordantiae defectu agunt, immo qui de hac re disputant, plerique non nisi leviter cursimque rem omnem absolvunt. Opportunum igitur mihi visum est principia colligere et casus praecipuos singillatim proponere a quibus verborum abest concordantia. Unde duplici ratione commentationem hanc persolvam: primum agam de principiis quibus discrepantia seu defectus concordantiae regitur; deinde de casibus specialibus in quibus concordantia desideratur.

### A. — PRINCIPIA DE DEFECTU CONCORDANTIAE

Generatim *concordantiae* nomine significantur omnes illae leges syntacticae quae congruentiam quarundam categoriarum (numeri, generis, casus, personae) moderantur inter vocabula quae in sententia sunt inter se conexas. Concordantia seu vocum convenientia saepe abruptitur seu multis de causis deest in linguis sive antiquis sive recentioribus. Sunt enim locutiones seu idiotismi quibus grammaticae regulae infringuntur, ut cum hispani dicimus « a pie juntillas », quin categoriae seu accidentia grammatica inter se cohaereant. Quod tamen multiplici ratione seu causa evenire potest, ut breviter nunc attingam.

1. Quod accidentia grammatica inter se non recte cohaereant saepe accidit cum lingua nondum perfecta est sed adolescit et quasi in infantia

est. Concordantia igitur deest potius in lingua latina prisca seu archaica quam in lingua latina classica. Sic, ex. gr., ex *Senatus Consulto de Bacchanalibus* (a. 186 a. Chr. n.) haec sententia:

censuere... homines plous V otnuorset *uir*i atque *mulieres* sacra ne quisquam/ fecisse *uelet*, neue inter ibei *uiri*et plous duobus, *mulieribus* plous tribus/ arfuisse *uelent*.

Habes in hac sententia duplex exemplum defectus concordantiae:

a) Forma *uelet* singularis non concordat cum subjecto plurali *uir*i atque *mulieres*, quamquam re vera pronomen singulare *quisquam* discrepantiam quodammodo parat.

b) Verbum *mulieribus* proprie subjectum est sicut et verbum *uir*i, sed non in nominativo casu est, sed in ablativo vi attractionis, quam locutio proxima *plous tribus* exercet.

2. Etiam apud scriptores classicos concordantia interdum desideratur, praesertim cum textus antiquos adhibent; ita, ex. gr., T. Livius cum preces et prisca foedera veteribus ipsis fontium verbis tradit:

Liv. 26, 33, 14 Plebes sic iussit: «Quod senatus juratus, maxima pars, censeat, qui *adsient*, id volumus jubemusque».

In hac sententia haec duo notatu digna invenimus:

1) Constructio appositiva potius quam partitiva, quae apud classicos scriptores usitatior est, in verbis *senatus juratus... pars maxima pro senatus jurati... pars maxima*.

2) Concordantia ad sensum relativi *qui adsient* cum antecedente *pars maxima*.

3. In familiari quoque lingua et vulgari saepe deest concordantia, et ideo in iis scriptoribus qui, ut Plautus, Terentius, Petronius, populares homines in suis operibus loquentes inducunt, discrepantias frequentes invenies. Sint exempla:

PLAUT., *Epid.* 398-9 *heus foras/ exite huc aliquis*.

TER., *Eun.* 649 *absente nobis turbatumst domi*.

4. Deest etiam concordantia apud scriptores, postclassicos et praesertim apud medii aevi scriptores. In iis enim scriptoribus plura vulgi verba et locutiones sensim irrepserunt, quae a grammaticis regulis declinaverunt. Exemplo sint haec JORDANI verba in opere *De origine actibusque Getarum* 1, 6 *excepto oppida vel possessiones*, ubi ablativum absolutum invenies cum accusativo usurpatum.

5. Immo apud scriptores omnes, etiam classicos, concordantia saepe abest, praesertim cum mens altioribus affectibus agitur. Tunc enim animi sensus liberius exprimuntur, quin grammaticae regulas ad amussim serventur, et verba potius *ad sensum* quam *ad regulas* junguntur et aptantur. Exemplum habes in:

Liv. 1, 41 1: «Clamor inde concursusque populi mirantium quid rei esset».

Liv. 2, 12, 11 Hoc tibi *juventus* romana *indicimus* bellum.

6. Sunt praeterea figurae seu licentiae rhetoricae quibus oratio seu locutio mutatur et decurrit non via recta et aperta, sed arcta et occulta, id est non grammaticas persequitur semitas sed logicas aut psychologicas; quod quidem fit cum syllepsis, prolepsi, ellipsi, anacolutho verba inter se *non ad verba* cohaerent *sed ad sensum*. En tibi exempla in quibus praepositio accusativi casus, vi syllepsis, cum genitivo apparet constructa:

HOR., Sat. 1, 9, 35 ventum erat *ad Vestae* (scilicet ad aram Vestae).

Liv. 1, 41, 4 habitabat enim *rex ad Jovis Statoris* (h. e. ad *sedes Jovis*).

7. Concordantia denique saepe abruptitur quia interdum categoriae seu accidentia grammatica influxu quodam sejunguntur aut analogia rapiuntur. Tum grammatici de constructione per attractionem aut per analogiam loquuntur. Haec vero constructio fit praesertim cum agitur de elementis non arte inter se conexis; artior enim est, v. gr., verbi et subjecti conexio quam subjecti et attributi nominis, unde liberius abruptitur concordantia subjecti et attributi quam verbi et subjecti; sed nunc copiosius de hac re dicemus.

## B. — CASUS SPECIALES IN QUIBUS CONCORDANTIA DESIDERATUR

In hac altera disputationis parte singillatim inquirere oportet quibus in adjunctis concordantia rumpatur et desideretur. Ut vero res luculentius pateat, gradatim procedere opus est. Agemus igitur primum de concordantia substantivi et adjectivi, deinde de substantivi et attributi concordantia, tertio de concordantia verbi et subjecti, postea de substantivo et apposito nomine, tum de relativi concordantia cum antecedente; considerabimus denique casus speciales synesis seu constructionis ad sensum.

### I. SUBSTANTIVUM ET ADJECTIVUM

Nomina adjectiva, itemque pronomina et participia, quae vere epitheta sunt, cohaerent cum suis substantivis genere, numero, casu; raro datur concordantiae defectus cum de his agitur, quia intima datur conexio et compages inter substantiva et ea adjectiva quae nomini adduntur designandi atque illustrandi gratia. Tamen haec tibi notanda erunt:

1. Adjectivum epithetum, quod ad plura substantiva *rerum animatarum* pertinet, numero plurali atque praestantiore genere adhibetur:

Cic., Cat. M. 1, 3 apud quem *Laelium* et *Scipionem* facimus *admirantes*.

2. Quod etiam servatur cum duo substantiva praepositione «cum» copulantur:

Liv. 45, 28, 11 *Filiam* cum *filio accitos*.

3. Cum vero adjectivum duobus pluribusque substantivis *rei inanimatae* illustrat, cum viciniore consentit:

CAES., B. C. 1, 36, 3 *reliquas merces commeatusque... reservant.*

4. Non raro tamen cum remotiore substantivo concordat, praesertim si maximi momenti in oratione sit:

LIV. 24, 2, 3 *urbem ac portum moenibus validam.*

LIV. 5, 44, 4 (Galli) *natura corpora animosque magna magis quam firma.*

5. Denique si duo vel plura adjectiva uni tantum substantivo tribuantur, hac triplici ratione ordinari possunt:

1) Consentunt cum substantivo praeenti, numero singulari:

CIC., Phil. 3, 7 *legionis Martiae quartaeque;*

2) vel cum substantivo subsequenti, numero plurali:

CIC., Fam., 11, 19, 1 *quartam et Martiam legiones;*

3) vel singulari numero concordant cum substantivo quod iteratur:

CIC., Phil. 5, 53 *legioni Martiae et legioni quartae.*

## II. SUBJECTUM ET ATTRIBUTUM

Nomen attributum, quod potest esse sive adjectivum, sive substantivum, sive pronomen, sive participium, cum subjecto convenit saltem casu; quod si fieri potest etiam genere et numero. Conjunctio tamen attributi et subjecti non adeo est valida ut non interdum dirumpatur seu sejungatur, praesertim in his adjunctis:

1. Cum agitur *de locutionibus partitivis*, adjectiva nonnumquam genus desumunt non a subjecto sed a genitivo:

CIC., Phil. 2, 44, 113 *Servitus (est) malorum omnium postremum.*

2. Cum verbo *licet, necesse est, mos est* invenitur aliquando in infinito modo, vi attractionis, dativus pro accusativo in orationibus verbi *esse* et *similium*:

CIC., Att. 1, 17, 6 *mihi negligenti esse non licet.*

LIV. 23, 29, 5 *quibus... in recentem equum ex fesso armatis transultare mos erat.*

—Non desunt tamen exempla in quibus accusativus adhibetur:

CIC., Balb. 12, 29 *civi romano licet esse Gaditanum.*

3. In locutionibus *mihi nomen est, alicui nomen dare, indere, facere*, saepe saepius nomen attributum dativo transfertur.

PLAUT., Men. 77 *juventus nomen fecit Peniculo mihi.*

LIV. 1, 34, 2 *Nomina his Lucumo atque Arruns fuerunt.*

LIV. 1, 34, 10 *domicilioque ibi comparato, L. Tarquinium Priscum edidere nomen.*

LIV. 1, 39, 1 *puero dormienti, cui Servio Tullio fuit nomen.*

LIV. 1, 49, 1 *L. Tarquinus... cui Superbo cognomen facta indiderunt.*

—Notatu digna est haec Vergilii et Livii variatio:

# PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII  
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXIII (FASC. III) — N. 183

M. SEPTEMBRI

A. MCMLXIII

## De discrepantia seu de concordantiae defectu

Grammatici omnes de concordantia agunt seu de vocum congruentia regulasque statuunt quibus attributum et verbum cum subjecto conveniat, adjectivum nomenque appositum cum substantivo, relativum cum antecedente; non omnes vero de discrepantia seu de concordantiae defectu agunt, immo qui de hac re disputant, plerique non nisi leviter cursimque rem omnem absolvunt. Opportunum igitur mihi visum est principia colligere et casus praecipuos singillatim proponere a quibus verborum abest concordantia. Unde duplici ratione commentationem hanc persolvam: primum agam de principiis quibus discrepantia seu defectus concordantiae regitur; deinde de casibus specialibus in quibus concordantia desideratur.

### A. — PRINCIPIA DE DEFECTU CONCORDANTIAE

Generatim *concordantiae* nomine significantur omnes illae leges syntacticae quae congruentiam quarundam categoriarum (numeri, generis, casus, personae) moderantur inter vocabula quae in sententia sunt inter se conexa. Concordantia seu vocum convenientia saepe abrumpitur seu multis de causis deest in linguis sive antiquis sive recentioribus. Sunt enim locutiones seu idiotismi quibus grammaticae regulae infringuntur, ut cum hispani dicimus « a pte juntillas », quin categoriae seu accidentia grammatica inter se cohaereant. Quod tamen multiplici ratione seu causa evenire potest, ut breviter nunc attingam.

1. Quod accidentia grammatica inter se non recte cohaereant saepe accidit cum lingua nondum perfecta est sed adolescit et quasi in infantia

est. Concordantia igitur deest potius in lingua latina prisca seu archaica quam in lingua latina classica. Sic, ex. gr., ex *Senatus Consulto de Bacchanalibus* (a. 186 a. Chr. n.) haec sententia:

censuere... homines plous V oinuorsei *uiri* atque *mulieres* sacra ne quisquam/ fecisse *uelet*, neue inter ibei *uir*ei plous duobus, *mulieribus* plous tribus/ arfulase *uelent*.

Habes in hac sententia duplex exemplum defectus concordantiae:

a) Forma *uelet* singularis non concordat cum subjecto plurali *uiri atque mulieres*, quamquam re vera pronomen singulare *quisquam* discrepantiam quodammodo parat.

b) Verbum *mulieribus* proprie subjectum est sicut et verbum *uir*ei, sed non in nominativo casu est, sed in ablativo vi attractionis, quam locutio proxima *plous tribus* exercet.

2. Etiam apud scriptores classicos concordantia interdum desideratur, praesertim cum textus antiquos adhibent; ita, ex. gr., T. Livius cum preces et prisca foedera veteribus ipsis fontium verbis tradit:

Liv. 26, 33, 14 Plebes sic iussit: «Quod senatus iuratus, maxima pars, censeat, *qui adsient*, id volumus jubemusque».

In hac sententia haec duo notatu digna invenimus:

1) Constructio appositiva potius quam partitiva, quae apud classicos scriptores usitatior est, in verbis *senatus iuratus... pars maxima pro senatus iurati... pars maxima*.

2) Concordantia ad sensum relativi *qui adsient* cum antecedente *pars maxima*.

3. In familiari quoque lingua et vulgari saepe deest concordantia, et ideo in iis scriptoribus qui, ut Plautus, Terentius, Petronius, populares homines in suis operibus loquentes inducunt, discrepantias frequentes invenies. Sint exempla:

PLAUT., *Epid.* 3-8-9 heus foras/ *exite* huc *aliquis*.

TER., *Eun.* 649 *absente* nobis turbatumst domi.

4. Deest etiam concordantia apud scriptores, postclassicos et praesertim apud medii aevi scriptores. In iis enim scriptoribus plura vulgi verba et locutiones sensim irrepserunt, quae a grammaticis regulis declinaverunt. Exemplo sint haec JORDANI verba in opere *De origine actibusque Getarum* 1, 6 *excepto oppida vel possessiones*, ubi ablativum absolutum invenies cum accusativo usurpatum.

5. Immo apud scriptores omnes, etiam classicos, concordantia saepe abest, praesertim cum mens altioribus affectibus agitatur. Tunc enim animi sensus liberius exprimuntur, quin grammaticae regulas ad amussim serventur, et verba potius *ad sensum* quam *ad regulas* junguntur et aptantur. Exemplum habes in:



Liv. 1, 41 1: «Clamor inde concursusque *populi mirantium* quid rei esset».

Liv. 2, 12, 11 Hoc tibi *juventus romana indicimus* bellum.

6. Sunt praeterea figurae seu licentiae rhetoricae quibus oratio seu locutio mutatur et decurrit non via recta et aperta, sed arta et occulta, id est non grammaticas persequitur semitas sed logicas aut psychologicas; quod quidem fit cum syllepsī, prolepsī, ellipsī, anacolutho verba inter se *non ad verba* cohaerent *sed ad sensum*. En tibi exempla in quibus praepositio accusativi casus, vi syllepsis, cum genitivo apparet constructa:

Hor., Sat. 1, 9, 35 ventum erat *ad Vestae* (scilicet *ad aram Vestae*).

Liv. 1, 41, 4 habitabat enim *rex ad Jovis Statoris* (h. e. *ad sedes Jovis*).

7. Concordantia denique saepe abrumpitur quia interdum categoriae seu accidentia grammatica influxu quodam sejunguntur aut analogia rapiuntur. Tum grammatici de constructione per attractionem aut per analogiam loquuntur. Haec vero constructio fit praesertim cum agitur de elementis non arte inter se conexas; artior enim est, v. gr., verbi et subjecti conexio quam subjecti et attributi nominis, unde liberius abrumpitur concordantia subjecti et attributi quam verbi et subjecti; sed nunc copiosius de hac re dicemus.

## B. — CASUS SPECIALES IN QUIBUS CONCORDANTIA DESIDERATUR

In hac altera disputationis parte singillatim inquirere oportet quibus in adjunctis concordantia rumpatur et desideretur. Ut vero res luculentius pateat, gradatim procedere opus est. Agemus igitur primum de concordantia substantivi et adjectivi, deinde de substantivi et attributi concordantia, tertio de concordantia verbi et subjecti, postea de substantivo et apposito nomine, tum de relativi concordantia cum antecedente; considerabimus denique casus speciales synesis seu constructionis ad sensum.

### I. SUBSTANTIVUM ET ADJECTIVUM

Nomina adjectiva, itemque pronomina et participia, quae vere epitheta sunt, cohaerent cum suis substantivis genere, numero, casu; raro datur concordantiae defectus cum de his agitur, quia intima datur conexio et compages inter substantiva et ea adjectiva quae nomini adduntur designandi atque illustrandi gratia. Tamen haec tibi notanda erunt:

1. Adjectivum epithetum, quod ad plura substantiva *rerum animatarum* pertinet, numero plurali atque praestantiore genere adhibetur:

Cic., Cat. M. 1, 3 apud quem *Laelium et Scipionem* factus *admirantes*.

2. Quod etiam servatur cum duo substantiva praepositione «cum» copulantur:

Liv. 45, 28, 11 *Filiam* cum *filio accitos*.

3. Cum vero adjectivum duobus pluribusque substantivis *rei inanimatae* illustrat, cum viciniore consentit:

CAES., B. C. 1, 36, 3 *reliquas merces commeatusque... reservant.*

4. Non raro tamen cum remotiore substantivo concordat, praesertim si maximi momenti in oratione sit:

LIV. 24, 2, 3 *urbem ac portum moentibus validam.*

LIV. 5, 44, 4 (Galli) *natura corpora animosque magna magis quam firma.*

5. Denique si duo vel plura adjectiva uni tantum substantivo tribuantur, hac triplici ratione ordinari possunt:

1) Consentunt cum substantivo praeenti, numero singulari:

CIC., *Phil.* 3, 7 *legionis Martiae quartaeque;*

2) vel cum substantivo subsequenti, numero plurali:

CIC., *Fam.*, 11, 19, 1 *quartam et Martiam legiones;*

3) vel singulari numero concordant cum substantivo quod iteratur:

CIC., *Phil.* 5, 53 *legioni Martiae et legioni quartae.*

## II. SUBJECTUM ET ATTRIBUTUM

Nomen attributum, quod potest esse sive adjectivum, sive substantivum, sive pronomen, sive participium, cum subjecto convenit saltem casu; quod si fieri potest etiam genere et numero. Coniunctio tamen attributi et subjecti non adeo est valida ut non interdum dirumpatur seu sejungatur, praesertim in his adjunctis:

1. Cum agitur *de locutionibus partitivis*, adjectiva nonnumquam genus desumunt non a subjecto sed a genitivo:

CIC., *Phil.* 2, 44, 113 *Servitus (est) malorum omnium postremum.*

2. Cum verbo *licet, necesse est, mos est* invenitur aliquando in infinito modo, vi attractionis, dativus pro accusativo in orationibus verbi *esse* et similium:

CIC., *Att.* 1, 17, 6 *mihi negligenti esse non licet.*

LIV. 23, 29, 5 *quibus... in recentem equum ex fesso armatis transultare mos erat.*

—Non desunt tamen exempla in quibus accusativus adhibetur:

CIC., *Balb.* 12, 29 *civi romano licet esse Gaditanum.*

3. In locutionibus *mihi nomen est, alicui nomen dare, indere, facere*, saepe saepius nomen attributivum dativo transfertur.

PLAUT., *Men.* 77 *juventus nomen fecit Peniculo mihi.*

LIV. 1, 34, 2 *Nomina his Lucumo atque Arruns fuerunt.*

LIV. 1, 34, 10 *domicilioque ibi comparato, L. Tarquinium Priscum edidere nomen.*

LIV. 1, 39, 1 *puero dormienti, cui Servio Tullio fuit nomen.*

LIV. 1, 49, 1 *L. Tarquinius... cui Superbo cognomen facta indiderunt.*

—Notatu digna est haec Vergili et Livii variatio:

# De nominibus machinarum quarundam recentiorum

Officinam Adolphi, fratris mei, qui artem confectoris<sup>1</sup> formarum<sup>2</sup> metallicarum exercet, cum corporis recreandi causa per complures hebdomades domi commorarer, plus quam semel invisebam varias machinas modernas miratus ipsam rationem modumve fabricationis accuratius perspecturus. Quas operationes identidem cogniturus cum meam ipsius docilitatem ad metallum rite tractandum temptare conatus tum de ipsis machinarum nominibus latine reddendis cogitare aggressus multas difficultates expertus sum, sed non insuperabiles. Nam praeter limas varii generis, malleos et marculos, forcipes et forfices, retinacula et retentacula, sustentacula et tenacula, ibi etiam ipsas machinas inspexi, quibus metalla sive ferrea et aerea sive chalybeia et adamantina rotundantur, levantur, perforantur, perpoliuntur, dissecantur, conferruminantur, coaptantur, complanantur, conformantur, conjunguntur, construuntur.

Atque primum quidem machina tornatoria<sup>3</sup> plerisque in officinis hujus generis invenitur. Ibi metallum rotundandum vel excavandum sive ab altera tantum parte tenaculis, quae possunt constringi, comprehensum sive ex altera quoque parte extrema sustentatum circumvertitur<sup>4</sup>, cui tornando tornus sive chalybeus sive adamantinus satis acutatus<sup>5</sup> minutatim et gra-

---

1. Cf. ThLL IV 171, 34-38 *de opificibus*. CIL II 1179 *opifices aere*.

Cf. ThLL VI, 1 140, 60-74 (*factor*) *rarius de opifice rerum corporalium*

2. Cf. ThLL VI, 1 1034, 43-75 *exemplar, ad cuius similitudinem res aliqua formatur*.

Confector formarum metallicarum est faber, qui formas fabricatur, quibus machinali prelo eccentrico (graece ἔκκεντρος; neograece ἔκκεντροπικός) insertis conficitur copia ingens earum partium, quibus numero sive pluribus sive paucioribus apparatus quidam vel machinamenta construuntur. Qualis opifex germanice dicitur *Werkzeugmacher*. Hoc nomen in nullo eorum lexicorum repperi, quae mihi ad manum sunt, neque in hispanico neque in italico neque in lusitano neque in francogallico neque in anglico neque in neograeco. De quo verbo videntur indices speciales artium metallicarum esse consulendi.

3. vulgo *torno, tornio, tour, turning-lathe, Drehbank, τόρνος*.

Cf. WALDE-HOFMANN, *Lateinisches etymologisches Wörterbuch* 3, vol. II (Heidelberg 1954), p. 692: *tornus-tornare tornatilis-tornatim-tornator*.

4. Cf. PLAUT. *Persa* 443 (ed. Ernout, Paris 1938, p. 131) *Mirum quin citius iam a foro argentarii abeunt quam in cursu rotula circumvortitur*. Cf. ThLL III 1182, 10-12.

5. Cf. VEG. *mul.* 1, 22, 4 *sagittam duri chalybis... coribus bene acutatam*. CHIRON. 7 *acutatam sagittam* (ThLL I 470, 69-71).

datim admovetur. Indita autem machinatio<sup>6</sup> motoria<sup>7</sup> rotis dentatis varie jungendis qualitate materiae spectata citius aut ocius movetur. Quae velocitates<sup>8</sup> vecte sive deprimendo sive sublevando commode modificantur.

Deinde vix minoris facultatis est machina excustrix (seu excusoria)<sup>9</sup>, quae neograece dicitur ἐκγλοπτική μηχανή. Est autem ἐκγλύφειν graecum latine *exsculpere, excavare, excudere, excludere*<sup>10</sup>. Ex quibus verbis *excudere* idem fere est quod *cludendo aliquid formare, fingere, efficere, excavare, fodere, excutere, elicere*<sup>11</sup>. Eodem autem modo, quo dicitur *tondere tonsum tonsor tonsorium*, duximus dicendum *excudere excusum excusor excusorium*. Ergo illa machina, qua partes particulaeve quaedam materiae comparandae quodammodo eroduntur, consentaneum est ut appelletur machina excustrix.

Alia machina, qua metallum scabendo<sup>12</sup> complanatur, id quod, cum lignum levigatur. runcinō fit, est machina runcinatoria<sup>13</sup>.

Postea materiae runcinando ad crassitudinem optatam extenuatae superficies non quidem pumice, sed machinatione speciali perpolitur; quae machina dicitur expoliatoria<sup>14</sup>. Sed haec machina, quam modo diximus, differt a machina smyridis<sup>15</sup>, quo disco celeriter circumactio<sup>16</sup> celtes varii generis et torni variae duritiae et scalpra variae magnitudinis et his similia exacuuntur; quo in opere perficiendo plerumque fit, ut scintillae eliciantur, quin etiam quasi imber<sup>17</sup> scintillarum cieatur.

Porro non raro necessarium est, ut metalla paranda sive per partem sive penitus sint perforanda, quibus foraminibus aut stili compagis inseran-

6. Cf. MIR, PAL. LAT. N. 179: 32 (1962) 414, adn. 15.

7. Cf. EICHENSEER, PAL. LAT. N. 174: 31 (1961) 65 sq., adn. 2.

8. Cf. MIR, PAL. LAT. N. 179: 32 (1962) 416, adn. 28.

9. *fresadora, (frese), fresatrice, fraiseuse, fraising-machine (molling machine), φρέσα, ἐκγλοπτική μηχανή, Fräse (Fräsmaschine).*

10. Cf. opus quod est: Henrici STEPHANI *Thesaurus Graecae linguae*, vol. IV (Graz 1954), p. 385.

11. Cf. ThLL V, 2 1289 sq.

12. WALDE-HOFMANN, *op. mem.*, vol. II, p. 484: *scabere - scaber, -bra, -brum - scabies - scobis - scobina.*

13. *acepilladora, piallatrice, Hobelmaschine.*

14. Hispanice *afiladora, máquina de afilar*, italice *arrotatrice*, francogallice *machine à aiguiser*, anglisce *grinding-machine*, germanice *Schleifmaschine*, neograece *ἀκονιστική μηχανή*.

Cf. ThLL V, 2 1752-1756.

15. Cf. FORCELLINI, IV, p. 396: *smyris, -idis f. σμύρις, genus lapidis, quo utuntur annularii et gemmarii ad gemmas expoliendas* (ISID. *orig.* 16, 4, 27).

Vulgo dicitur *esmeril, smeriglio, émeri, emery, Schmirgel.*

16. Cf. PLIN. *nat.* 8, 52 rotarum orbis circumacti. GELL. 3, 3, 14 ad circumagendas molas. APUL. *apol.* 45 orbis a figulo circumactus (ThLL III 1120, 3-7).

17. ThLL VIII 422, 79-84 et 423 52 60: (*imber*) ignium - sulphuris - mannae - lapidum - saxorum - telorum - fustium - spiculorum - rosarum.

tur aut cochleae juncturae intorqueantur<sup>18</sup> aut aperturae committantur ad aliud necessariae. Hujus operis efficiendi machina nominatur terebratoria<sup>19</sup>. Foramina autem necessaria terebris variae longitudinis et diametri diversi ita fiunt, ut vecte quodam longiore paulatim vertendo terebra deprimenda metallis ipsis imprimatur perpetuo liquere quaedam chemico (vel saltem sã-põnõtã<sup>20</sup>) refrigeranda, ne ob fricatum<sup>21</sup> ingentem excandescat.

Denique ad hos apparatus, quos paucis jam tractavimus et saltem summatim descripsimus, accedit machina serrae taeniaticae<sup>22</sup> tam opifici metallario quam fabro lignario maxime necessaria. Qui faber materiarius<sup>23</sup> ad truncos arborum dividendos etiam machinariam<sup>24</sup> serram orbiculatam<sup>25</sup> (seu circularem<sup>26</sup>) adhibet. Sed structura serrae taeniaticae, qua metalla dissecantur aliquatenus a machinamento taeniae serratoriae, qua ligna serrantur<sup>27</sup>, cum ferri metallorumque durities densitasque spissa naturae multo molliori lignorum (etiam querceorum vel ebeninorum vel fagineorum) comparari vix possint. Itaque apparatus metallariae serrae taeniaticae rationibus subtilioribus compositus est. Nam cursus taeniae serratoriae, quae circum canthos<sup>28</sup> cummi duriore extrinsecus munitos utriusque rotae circumposita est, velocitatum moderamine multiplici modificatur. Inferiore autem rota, quae axe ipsi infixio per appositam machinationem motoriam impellitur<sup>29</sup>, etiam su-

18. Cf. ThLL VII, 2 31, 26-81.

19. Vulgo *taladradora*, *perforatrice* (*alesatrice*), *perceuse*, *boring* (*drilling*) *machine*, *Bohrmaschine*.

Cf. WALDE-HOFMANN, *op. mem.*, II, p. 672: terebra, -ae f. (-um, -i n.) - terebellus - terebrare - terebratio - terebratus, -us - terebramen - terebrator.

20. *ibid.* p. 473: sapo, -onis m. - saponarius - saponata.

21. Cf. ThLL VI 1319, 72-75 (*fricatus*), *ibid.* 65-71 (*fricatura*); at 1319, 41-60 (*fricatio*) et 1321, 17-37 (*frictio*) = *t. t. medicorum*.

22. vulgo *sierra de cinta*, *serra de fita*, *sega a nastro*, *scie à ruban*, *endless* (*band-*, *ribbon-strap-*) *saw*, *saw-belt*, *Bandsäge*.

Cf. WALDE-HOFMANN, *op. mem.*, II, p. 643: taenia - taeniola - taeniaticus, -a, -um - taenien-sis, -e - taeniosus, -a, -um.

23. Cf. ThLL VIII 476, 74-467, 10.

24. Cf. APUL. *met.* 7, 15 (ed. Helm, Lipsiae 1955, p. 165, 19) *multier molae machinariae subiugum me [asinum] dedit*. COMMENT. *Lucan.* 3, 455 *rotam machinariam* dicit, qua aedificiis lapides imponuntur.

25. Vulgo *sierra circular*, *serra circular*, *sega circolare*, *scie circulaire*, *circular saw*, *Kretssäge*.

Cf. WALDE-HOFMANN, *op. mem.*, II, p. 219: orbis - orbiculus - orbiculatus, -a, -um - orbicla - orbiculatim - orbicularis.

26. Cf. ThLL III 1106, 64-73: *circularis t. e. in circulum circumactus*.

27. Cf. FORCELLINI, tom. IV (Patavii 1940) p. 335.

28. Cf. ThLL III 283, 2: *ferrum, quo rotae curvatura cingitur*.

Cf. Ov. *met.* 2, 107 *aurea summae curvatura rotae*.

VULG. III *reg.* 7, 33 *rotae ... et axes earum et radii et canthi*.

29. Cf. VITR 9, 8, 5 *denticuli alius altum impellentes versationes ... faciunt* (ThLL VII, 1 538, 6).

perior rota agitur<sup>30</sup>, cum taenia serratoria rotellis<sup>31</sup> lateralibus satis directa atque per rimam mensae mediae aequilibris<sup>52</sup> deorsum ducta utrique rotae circumtendatur<sup>33</sup>.

Distenditur autem hoc genus serrae rotulō<sup>34</sup> quadam manubriatō<sup>35</sup>, qua axis rotae superioris sursum dimovetur. Praeterea mensa plerumque plana, cui metalla secanda imponuntur, si operi necessarium est, ita inclinari potest, ut in situm redigatur obliquum. Porro serragines vento per tubulum adducto jam in ipsa serratione seu serratura continuo difflantur. Electricum autem machinamentum motorium loris compluribus, iisque cuneatis<sup>36</sup>, cum machinatione moderaminis conjungitur, qua velocitates axis motorii, id est rotae inferioris, temperantur<sup>37</sup>. Hic axis cunctique alii axes vel axiculi<sup>38</sup> vel cnōdacēs<sup>39</sup> hujus machinae vel altarum sedulo aut axungia<sup>40</sup> aut oleo unguantur vel axungientur necesse est, ne quid detrimenti ob continuas conversiones citissimas nimiō fricaturō fiat.

His rebus hic illic fusius adumbratis id studuimus, ut paucis fabricationis modum speciesve significaremus earum machinarum, quas duximus latine denominandas. Qua tractatione insuper demonstrare voluimus techni-

30. Cf. VITR. 10, 9, 7 rotae agent axem, axis vero tampanum (ThLL II 1637, 71 sq.).

31. AUG. in psalm. 76, 20, 24 (CChL 39, 1064) Orbis terrarum est rota, nam circuitus orbis terrarum merito et orbis dicitur; unde brevis etiam rotella, orbiculus appellatur.

ISID. orig. 14, 2, 1 (ed. Lindsay, Oxonii 1911) Orbis a rotunditate circuiti dicitur, quia sicut rota est; unde brevis etiam rotella orbiculus appellatur.

Cf. HAKAMIES. Reino, *Étude sur l'origine et l'évolution du diminutif latin et sa survie dans les langues romanes*, Helsinki 1951, p. 98, 103, 105.

32. Cf. ThLL I 1008, 55-61.

33. Cf. ThLL III 1175, 72-76.

34. Cf. PLAUT *Persa* 443 rotula circumvortitur. COLUM. 11, 3, 52 (ed. Lundström, Upsalae 1906, p. 58, 15) possunt ... vasis maioribus rotulae subiecti. PLIN. nat. 18, 172 (ed. Mayhoff Lipsiae 1892, p. 190, 12) addere tali [vomeri] rotulas.

VEG. *mulom.* 2, 82, 2 (ed. Lommatzsch, Lipsiae 1903, p. 172, 16) cut [pedi] rotulam ligneam subiectas. ARNOB. nat. 5, 19 (CSEL 4, 191, 13) volubiles rotulas.

35. Cf. PALLAD. 1, 42, 2 serrulas manubriatas. AMM. 25, 1, 15 manubriatos cultros (ThLL VIII 337, 28 sq.).

36. Cf. ThLL IV 1403, 8-25: cuneatus, -a, -um i. q. cunet formam habens.

37. Cf. TERT. nat. 2, 3, 11 machinam temperat.

38. Cf. VITR. 10, 2, 1 in trocleam indu(untur) orbiculi per axiculos versationes habentes. 10, 9, 2 tympanum versatile in cultro collocatum et in axiculo conclusum (ThLL II 1634, 67-73).

39. Cf. ThLL III 1365, 53-61 cnodax, actis m. κνώδαξ, axis machinae

Cf. SAINT EXUPÉRY (HAURY), *Regulus (Le Petit Prince)*, Lutetiae 1961, cap. VII (p. 27): Ceterum id tempus animo intentissimo experiebar ut cnodacem in ipsis machinae nervis nimis haerentem elicerem

40. PLIN. nat. 28, 141 antiqui axibus vehiculorum perungendis maxime ad faciliorem circumactum rotarum utebantur axungia (ThLL II 1642, 19-65). CATO agr. 97 amurca decocta axem unguito.

# De nominibus machinarum quarundam recentiorum

Officinam Adolphi, fratris mei, qui artem confectoris<sup>1</sup> formarum<sup>2</sup> metallicarum exercet, cum corporis recreandi causa per complures hebdomades domi commorarer, plus quam semel invisebam varias machinas modernas miratus ipsam rationem modumve fabricationis accuratius perspecturus. Quas operationes identidem cogniturus cum meam ipsius docilitatem ad metallum rite tractandum temptare conatus tum de ipsis machinarum nominibus latine reddendis cogitare aggressus multas difficultates expertus sum, sed non insuperabiles. Nam praeter limas varii generis, malleos et marculos, forcipes et forfices, retinacula et retentacula, sustentacula et tenacula, ibi etiam ipsas machinas inspexi, quibus metalla sive ferrea et aerea sive chalybeia et adamantina rotundantur, levantur, perforantur, perpoliuntur, dissecantur, conferruminantur, coaptantur, complanantur, conformantur, conjunguntur, construuntur.

Atque primum quidem machina tornatoria<sup>3</sup> plerisque in officinis hujus generis invenitur. Ibi metallum rotundandum vel excavandum sive ab altera tantum parte tenaculis, quae possunt constringi, comprehensum sive ex altera quoque parte extrema sustentatum circumvertitur<sup>4</sup>, cui tornando tornus sive chalybeius sive adamantinus satis acutatus<sup>5</sup> minutatim et gra-

---

1. Cf. ThLL IV 171, 34-38 *de opificibus*. CIL II 1179 opifices aera.

Cf. ThLL VI, 1 140, 60-74 (factor) *rarius de opifice rerum corporalium*

2. Cf. ThLL VI, 1 1034, 43-75 *exemplar, ad cuius similitudinem res aliqua formatur*.

Confector formarum metallicarum est faber, qui formas fabricatur, quibus machinam prelo eccentrico (graecae ἔκκεντρος; neograecae ἔκκεντροπικός) insertis conficitur copia ingens earum partium, quibus numero sive pluribus sive paucioribus apparatus quidam vel machinamenta construuntur. Qualis opifex germanice dicitur *Werkzeugmacher*. Hoc nomen in nullo eorum lexicorum repperi, quae mihi ad manum sunt, neque in hispanico neque in italico neque in iustitano neque in francogallico neque in anglico neque in neograeco. De quo verbo videntur indices speciales artium metallicarum esse consulendi.

3. vulgo torno, tornio, tour, turning-lathe, Drehbank, τόρνος.

Cf. WALDE-HOFMANN, *Lateinisches etymologisches Wörterbuch* 3, vol. II (Heidelberg 1954), p. 692: *tornus-tornare tornatilis-tornatim-tornator*.

4. Cf. PLAUT. *Persa* 443 (ed. Ernout, Paris 1938, p. 131) Mirum quin citius iam a foro argentarii abeunt quam in cursu rotula circumvertitur. Cf. ThLL III 1182, 10-12.

5. Cf. VEG. *mul.* 1, 22, 4 sagittam duri chalybis... coribus bene acutatam. CHIRON. 7 acutatam sagittam. (ThLL I 470, 69-71).

darim admovetur. Indita autem machinatio<sup>6</sup> motoria<sup>7</sup> rotis dentatis varie jungendis qualitate materiae spectata citius aut ocius movetur. Quae velocitates<sup>8</sup> vecte sive deprimendo sive sublevando commode modificantur.

Deinde vix minoris facultatis est machina excustrix (seu excusoria)<sup>9</sup>, quae neograece dicitur ἐκγλοπτικὴ μηχανή. Est autem ἐκγλύφειν graecum latine *exsculpere, excavare, excudere, excludere*<sup>10</sup>. Ex quibus verbis *excudere* idem fere est quod *cutendo aliquid formare, fingere, efficere, excavare, fodere, excutere, elicere*<sup>11</sup>. Eodem autem modo, quo dicitur *tondere tonsum tonsor tonsorium*, duximus dicendum *excudere excusum excusor excusorium*. Ergo illa machina, qua partes particulaeve quaedam materiae comparandae quodammodo eroduntur, consentaneum est ut appelletur machina excustrix.

Alia machina, qua metallum scabendo<sup>12</sup> complanatur, id quod, cum lignum levigatur. runcinō fit, est machina runcinatoria<sup>13</sup>.

Postea materiae runcinando ad crassitudinem optatam extenuatae superficies non quidem pumice, sed machinatione speciali perpolitur; quae machina dicitur expoliatoria<sup>14</sup>. Sed haec machina, quam modo diximus, differt a machina smyridis<sup>15</sup>, quo disco celeriter circumacto<sup>16</sup> celtes varii generis et torni variae duritiae et scalpra variae magnitudinis et his similia exacuuntur; quo in opere perficiendo plerumque fit, ut scintillae eliciantur, quin etiam quasi imber<sup>17</sup> scintillarum cieatur.

Porro non raro necessarium est, ut metalla paranda sive per partem sive penitus sint perforanda, quibus foraminibus aut stili compagis inseran-

6. Cf. MIR, PAL. LAT. N. 179: 32 (1962) 414, adn. 15.

7. Cf. EICHENSEER, PAL. LAT. N. 174: 31 (1961) 65 sq., adn. 2.

8. Cf. MIR, PAL. LAT. N. 179: 32 (1962) 416, adn. 28.

9. *fresadora, (frese), fresatrice, fraiseuse, fraising-machine (molling machine), φρέζα, ἐκγλοπτικὴ μηχανή, Fräse (Fräsmaschine).*

10. Cf. opus quod est: HENRICI STEPHANI *Thesaurus Graecae linguae*, vol. IV (Graz 1954), p. 385.

11. Cf. THLL V, 2 1289 sq.

12. WALDE-HOFMANN, *op. mem.*, vol. II, p. 484: *scabere - scaber, -bra, -brum - scabies - scobis - scobina.*

13. *acepilladora, piallatrice, Hobelmaschine.*

14. Hispanice *afladora, máquina de afilar*, italice *arrotatrice*, francogallice *machine à aiguiser*, anglisce *grinding-machine*, germanice *Schleifmaschine*, neograece *ἀκονιστικὴ μηχανή.*

Cf. THLL V, 2 1752-1756.

15. Cf. FORCELLINI, IV, p. 396: *smyris, -idis f. σμύρις, genus lapidis, quo utuntur annularii et gemmarii ad gemmas expoliendas (ISID. orig. 16, 4, 27).*

Vulgo dicitur *esmeril, smeriglio, émeri, emery, Schmirgel.*

16. Cf. PLIN. *nat.* 8. 52 *rotarum orbes circumacti*. GELL. 3, 3, 14 *ad circumagendas molas*. APUL. *apol.* 45 *orbis a figulo circumactus* (THLL III 1120, 3-7).

17. THLL VIII 422, 79-84 et 423. 52 60: (*imber*) *ignium - sulphuris - mannae - lapidum - saxorum - telorum - fustium - spiculorum - rosarum.*



tur aut cochleae juncturae intorqueantur<sup>18</sup> aut aperture committantur ad aliud necessariae. Hujus operis efficiendi machina nominatur terebratoria<sup>19</sup>. Foramina autem necessaria terebris variae longitudinis et diametri diversi ita fiunt, ut vecte quodam longiore paulatim vertendo terebra deprimenda metallis ipsis imprimatur perpetuo liquore quodam chemico (vel saltem sãpõnõtõ<sup>20</sup>) refrigeranda, ne ob fricatum<sup>21</sup> ingentem excandescat.

Denique ad hos apparatus, quos paucis jam tractavimus et saltem summatim descripsimus, accedit machina serrae taeniaticae<sup>22</sup> tam opifici metallario quam fabro lignario maxime necessaria. Qui faber materiarius<sup>23</sup> ad truncos arborum dividendos etiam machinariam<sup>24</sup> serram orbiculatam<sup>25</sup> (seu circulare<sup>26</sup>) adhibet. Sed structura serrae taeniaticae, qua metalla dissecantur aliquatenus a machinamento taeniae serratoriae, qua ligna serrantur<sup>27</sup>, cum ferri metallorumque durities densitasque spissa naturae multo molliori lignorum (etiam querceorum vel ebeninorum vel fagineorum) comparari vix possint. Itaque apparatus metallariae serrae taeniaticae rationibus subtilioribus compositus est. Nam cursus taeniae serratoriae, quae circum canthos<sup>28</sup> cummi duriore extrinsecus munitos utriusque rotae circumposita est, velocitatum moderamine multiplici modificatur. Inferiore autem rota, quae axe ipsi infixio per appositam machinationem motoriam impellitur<sup>29</sup>, etiam su-

18. Cf. ThLL VII, 2 31, 26 81.

19. Vulgo *taladradora, perforatrice (alesatrice), perceuse, boring (drilling) machine, Bohrmaschine*.

Cf. WALDE-HOFMANN, *op. mem.*, II, p. 672: terebra, -ae f. (-um, -i n.) - terebellus - terebrare - terebratio - terebratus, -us - terebramen - terebrator.

20. *ibid.* p. 478: sapo, -onis m. - saponarius - saponata.

21. Cf. ThLL VI 1319, 72-75 (fricatus), *ibid.* 65-71 (fricatura); at 1319, 41-60 (fricatio) et 1321, 17-37 (frictio) = *s. t. medicorum*.

22. vulgo *sierra de cinta, serra de fita, sega a nastro, scie à ruban, endless (band-, ribbon-strap-) saw, saw-belt, Bandsäge*.

Cf. WALDE-HOFMANN, *op. mem.*, II, p. 643: taenia - taeniola - taeniaticus, -a, -um - taenien-sis, -e - taeniosus, -a, -um.

23. Cf. ThLL VIII 476, 74-467, 10.

24. Cf. APUL. *met.* 7, 15 (ed. Helm, Lipsiae 1955, p. 165, 19) *multer molae machinariae subiugum me [asinum] dedit*. COMMENT. *Lucan.* 3, 455 *rotam machinariam dicit, qua aedificiis lapides imponuntur*.

25. Vulgo *sierra circular, serra circular, sega circolare, scie circulaire, circular saw, Kreissäge*.

Cf. WALDE-HOFMANN, *op. mem.*, II, p. 219: orbis - orbiculus - orbiculatus, -a, -um - orbicla - orbiculatim - orbicularis.

26. Cf. ThLL III 1106, 64-73: circularis *s. e. in circulum circumactus*.

27. Cf. FORCELLINI, tom. IV (Patavii 1940) p. 335.

28. Cf. ThLL III 283, 2: *ferrum, quo rotae curvatura cingitur*.

Cf. Ov. *met.* 2, 107 *aurea summae curvatura rotae*.

VULG. III *reg.* 7, 33 *rotae ... et axes earum et radii et canthi*.

29. Cf. VITR 9, 8, 5 *denticuli altus alium impellentes versationes ... faciunt* (ThLL VII, 1 538, 6).

perior rota agitur<sup>30</sup>, cum taenia serratoria rotellis<sup>31</sup> lateralibus satis directa atque per rimam mensae mediae aequilibris<sup>52</sup> deorsum ducta utrique rotae circumtendatur<sup>33</sup>.

Distenditur autem hoc genus serrae rotulā<sup>34</sup> quadam manubriatō<sup>35</sup>, qua axis rotae superioris sursum dimovetur. Praeterea mensa plerumque plana, cui metalla secunda imponuntur, si operi necessarium est, ita inclinari potest, ut in situm redigatur obliquum. Porro serragines vento per tubulum adducto jam in ipsa serratione seu serratura continuo difflantur. Electricum autem machinamentum motorium loris compluribus, iisque cuneatis<sup>36</sup>, cum machinatione moderaminis conjungitur, qua velocitates axis motorii, id est rotae inferioris, temperantur<sup>37</sup>. Hic axis cunctique alii axes vel axiculi<sup>38</sup> vel cnōdacēs<sup>39</sup> hujus machinae vel aliarum sedulo aut axungia<sup>40</sup> aut oleo unguantur vel axungientur necesse est, ne quid detrimenti ob continuas conversiones citissimas nimīō fricaturā fiat.

His rebus hic illic fusius adumbratis id studuimus, ut paucis fabricationis modum speciesve significarem earum machinarum, quas duximus latine denominandas. Qua tractatione insuper demonstrare voluimus techni-

30. Cf. VITR. 10, 9, 7 rotae agent axem, axis vero tympanum (ThLL II 1637, 71 sq.).

31. AUG. in psalm. 76, 20, 24 (CChL 39, 1064) Orbis terrarum est rota, nam circuitus orbis terrarum merito et orbis dicitur; unde brevis etiam rotella, orbiculus appellatur.

ISID. orig. 14, 2, 1 (ed. Lindsay, Oxonii 1911) Orbis a rotunditate circuli dicitur, quia sicut rota est; unde brevis etiam rotella orbiculus appellatur.

Cf. HAKAMIES, Reino, *Étude sur l'origine et l'évolution du diminutif latin et sa survie dans les langues romanes*, Helsinki 1951, p. 98, 103, 105.

32. Cf. ThLL I 1008, 55-61.

33. Cf. ThLL III 1175, 72-76.

34. Cf. PLAUT. *Persa* 443 rotula circumvortitur. COLUM. 11, 3, 52 (ed. Lundström, Upsalae 1906, p. 58, 15) possunt ... vastis maioribus rotulae subici. PLIN. nat. 18, 172 (ed. Mayhoff Lipsiae 1892, p. 190, 12) addere tali [vomeri] rotulas.

VEG. *mulom.* 2, 82, 2 (ed. Lommatzsch, Lipsiae 1903, p. 172, 16) cut [pedi] rotulam ligneam subicies. ARNOB. nat. 5, 19 (CSEL 4, 191, 13) volubiles rotulas.

35. Cf. PALLAD. 1, 42, 2 serrulas manubriatas. AMM. 25, 1, 15 manubriatos cultros (ThLL VIII 337, 28 sq.).

36. Cf. ThLL IV 1403, 8-25: cuneatus, -a, -um i. q. cunei formam habens.

37. Cf. TERT. nat. 2, 3, 11 machinam temperat.

38. Cf. VITR. 10, 2, 1 in trocleam induuntur orbiculi per axiculos versationes habentes. 10, 9, 2 tympanum versatile in cultro collocatum et in axiculo conclusum (ThLL II 1634, 67-73).

39. Cf. ThLL III 1365, 53-61 cnodax, acis m. *χνόδαξ*, axis machinae

Cf. SAINT EXUPÉRY (HAURY), *Regulus (Le Petit Prince)*, Lutetiae 1961, cap. VII (p. 27): Ceterum id tempus animo intentissimo experiebar ut cnodacem in ipsis machinae nervis nimis haerentem elicere

40. PLIN. nat. 28, 141 antiqui axibus vehiculorum perungendis maxime ad faciliorem circumactum rotarum utebantur axungia (ThLL II 1642, 19-65). CATO agr. 97 amurca decocta axem unguito.

cas quoque res aetatis nostrae commode conscribi posse latine. Qua in re non infitior nonnulla vocabula difficulter tantum inveniri. Sed haec difficultas non tam e re ipsa emergit quam e nostra inscientia eorum auctorum antiquorum, qui res machinales perscitate pertractaverunt<sup>41</sup>. Hac de causa plurimis locis saltem adnotationibus indicare nixi sumus, quid in litterarum monumentis antiquis invenissemus quibusve verborum vetustis radicibus innixi nomina nova fingenda duxissemus.

Denique ad haec nomina machinarum quod attinet ipsa, primo sum arbitratus fieri posse, ut scriberetur machina *tornatrix* (*excustrix*, *runcinatrix*, *expolitrax*, *terebratrix*<sup>42</sup>). Sed aliquatenus dubius et incertus, hicne modus verba fingendi esset vere latinus an exemplis antiquis contrarius, cunctos locos auctorum antiquorum inspexi, qui in Thesauro, qui dicitur, linguae latinae bene dispositi collecti continentur. Ibi inveni has, quae sequuntur machinas commemoratas. Ubi leguntur haec<sup>43</sup>:

VITR. 1, 1, 9 hydraulicas... machinas. 5, 6, 8 machinae... versatiles. 9, 8, 4 automatopoetas... machinas<sup>44</sup>. 10, 13, 6 arietaria machina. SUET. Nero 38, 1 bellicis machinis. ULP. dig. 33, 7, 12, 10 machinam frumentariam. PLIN. nat. 7, 202 in muralibus machinis. AMM. 20, 7, 18 obsidionales<sup>45</sup>... machinas (23. 3, 9 *al.*, *passim*), 23, 4, 4 in modum serratoriae machinae<sup>46</sup>. PRUD. psych. 866 stridebat... funalis machina. VULG. I Macch. 4, 18 turritam... machinam. SULP. Sev. dial. 1, 13, 2 rotali machina aquam producere.

His exemplis propositis nihil restat, nisi ut illae machinae recentiores, quas dixi latine quoque denominandas<sup>47</sup> esse, similem in modum dicantur

41. De rebus technicis exempli gratia consulantur hi auctores: VITRUVIUS (*de architectura*), SEX. JULIUS FRONTINUS (*de aquis*), AMMIANUS MARCELLINUS (*de rebus gestis*), FLAVIUS VEGETIUS RENATUS (*epitoma rei militaris*), ANONYMUS (*de machinis bellicis*).

42. Cf. SLEUMER, Albert, *Deutsch-kirchenlateinisches Wörterbuch* 3, Bonn (Dümmler) 1962, p. 119: machina vectrix (= Lokomotive).

LAMBERT, Andreas: VITA LATINA, Nr. 8. Sept. 1959, p. 69: locomotrix. Lis, Johannes: Soc. LAT. 5 (1937) 12: Reliquum est, ut addam lumina dumtaxat locomotricibus praefixa in viis ferratis, quae ipsa paucis rubris lucernis multum obcaecatis significabantur, tamquam oculos ardentis eruae fuscatae per tenebras praefulsisse

43. Cf. ThLL VIII 12 sq.

Cf. ThLL VIII 14, 55: SERV. Aen. 2, 151 machinamenti bellici.

*ibid.* 15, 15: CAEL. AUR. chron. 5, 11, 133 raptorio machinamento.

*ibid.* 16, 25: VITR. 10, 13, 8 de marinis machinationibus.

*ibid.* 16, 39: CAES. civ. 2, 10, 7 machinatione navali.

44. ThLL VIII 13, 46; cf. ThLL II 1600, 41 sq. automatopoetus, -a, -um.

45. Cf. ITIN. Alex. 19 obsidionalibus machinamentis (ThLL VIII 14, 50).

46. ThLL VIII 13, 52; cf. FORCELLINI, IV, p. 335: serratrina, -ae f. locus, ubi serra secantur arbores.

47. Cf. QUINT. inst. 8, 2, 4 multa sunt et graece et latine non denominata (ThLL V, 1 535, 47).

*machina tornatoria, excusoria, runcinatoria, expolitoria, terebratoria*<sup>48</sup>. Nam haec tantum nominum formae nominibus antiquitus jam usitatis vere congruere videntur.

Ceterum jam ante multos annos, cum linguam latinam nondum novi, ventimolinam<sup>49</sup> parvulam puer fabricatus sum, cui quidem erat forinsecus tantum ventimolinae species similisque aspectus. Nam rotulō pinnatō ventis intorquendō<sup>50</sup>, quae erat affixa ad caput<sup>51</sup> externum axiculi transversi in superiore aedificiolo versati<sup>52</sup>, non molaē circumagebantur, sed duae campanulae<sup>53</sup> in tigillo mobili suspensae ita movebantur, ut vento coorto dulciter

48 Cf. MENGE-MUELLER, *Deutsch-lateinisches Taschenwörterbuch 5* (Langenscheidt), Berlin-Schöneberg 1949, p. 109: *machina gelufica* (= vulgo *heladora, sorbetera, serveteira, freezer, Eis-maschina*). Hoc nomen rite fictum videtur esse.

49. vulgo *molino de viento, moinho de vento, molino a vento, moulin à vent, windmill, Windmühle, ἀνεμόμυλος*.

Cf. IJSEWIJN - MIR: PAL. LAT. n. 169: 30 (1960) 26 sq

Cf. MLW (= *Mittelateinisches Wörterbuch* [= *Mediae Latinitatis Lexicon*] cf. PAL. LAT. n. 173 (31, 1961), pag. 3 involucrit) I 154, 58 sq.: ANNAL. Otak. (a 1227) p. 192, 6 K. Eodemque anno molendinum ventosum est erectum in orto Straloviensi. CHART. Hans. I p. 261 et molendinum ad ventum habet (a. 1274). Pommerell. 249 cum... molendinis tam aqua quam aere constructis vel construendis.

Cf. ThLL VIII 1336, 38 sq. aqua(e)mola. II 365, 48 sq. aquemola ydromilon ὕδρομύλη aquamulina.

Cf. EPIST. imp. Constant. (CIL III 7000 [= 352]) 1, 30 (Monumenta Asiae Minoris antiqua, vol. VII, *Monuments from Eastern Phrygia*, ed. by William M. Calder, Manchester 1956, n. 305, 30 (p. 70): pr[aeter] ea ex decursibus praeterfluentium [a]quarum aquim(o) lin[a]rum numerum copiosum.

Ad hunc titulum Calder (p. 73) adnotavit haec: *dated between A. D. 323-326*. Ergo his annis haec verba inscripta sunt.

50. Cf. AUG. civ. 5, 3, 4 (CChL 47, 130) dum ... rotam figuli vi quanta potuit intorsisset, corrente illa bis numero de atramento tamquam uno eius loco summa celeritate percussit; deinde inventa sunt signa, quae fixerat, desistente motu, non parvo intervallo in rotae illius extremitate distantia.

VARRO At. *carm. frg.* 12 aetherio mundum torquetur axe.

CIC. ac. 3, 123 terra cum circum axem se summa celeritate convertat et torqueat. HIER. *epist.* 64, 19 currere mundum ... incessabiliter velut rotam in suo axe torqueri.

51. Cf. VITR. 10, 5, 2 (*in hydraletis*) in uno capite axis tampanum dentatum e<s>t inclusum. 10, 9, 5 traicitur per latera parietum navis axis habens extra navem prominentia capita, in quae includuntur rotae (*machinae ad iter metiendum*).

52. Cf. VITR. 9, 8, 9 saburrae pondus ... versat axem, axis autem tampanum.

53. Cf. VIT. FRONT. (*Migne. Pl.* 75. 412<sup>B</sup>) per flamina ventorum campanulae rapiens sonitum.

Cf. PAL. LAT. n. 174: 31 (1961) 69 sq., adn. 32.

Cf. GREG. TUR. Franc. 2, 23 (MGH. *Script. Merov.* I, p. 68, 8 sq.) cum signum ad matutinas ... fuisset commotum.

stell. 37 (MGH, *Script. rer. Merov.* I, 2 p. 870, 25) signum ad matutinum moveas. 38 (p.

resonarent. Ipsa autem aedícula versilis<sup>54</sup> scandūlis contacta est, quibus esset tutior ab intemperie caeli nubili et nimborum et imbridi et asperi et nivalis. Nam in hunc modum incolae Algoiae<sup>55</sup> superioris domos casasque contra tempestatum vim jam per multa saecula munire consueverunt. Intrinsicus autem illud tectulum<sup>56</sup> duabus lampadibus electricis pusillis rubri coloris instruxeram, quae vesperi vel noctu accensae lucem splendoris suavioris per fenestellulas<sup>57</sup> effundebant<sup>58</sup>.

Hanc aedículam tum pro viribus affabre constructam jam fatiscentem nuper in officina fratris animi causa reparavi non solum novas machinas expertus, sed etiam thesaurum antiquum linguae latinae perscrutari et percontari cum fructu molitus.

Scribebam mense Novembri anni MCMLXII.

CAELESTIS EICHENSEER, O. S. B.

---

870, 28 sq.) signum sonit (= sonat, sonuit?). 36 (p. 870, 16) signum moveatur ad matutinas. 41 (p. 871, 12) signum ad matutinum commoveatur.

54. Cf. SERV. *Georg.* 3, 24 scaena autem quae fiebat, aut versilis erat aut ductilis: versilis tunc erat, cum subito tota machinis quibusdam convertebatur et aliam picturae faciem ostendebat; ductilis tunc, cum tractis tabulatis hac atque illac species picturae nudabatur interior.

55. *Allgäu*; qui pagus Germaniae vel potius Bavariae meridionalis Alpibus finitimus circa fluvium Hilaram superiorem situs est.

56. Cf. HIER. *epist.* 117, 9, 1 (CSEL 55, 431, 19) separentur domus vestrae dividaturque convivium, ne maledicti homines sub uno tectulo vos manentes lectulum quoque crimentur habere communem.

57. Cf. THLL VI, 1 478, 31-33: GREG. TUR. *vit. patr.* 19, 1 in qua cella unam tantum fenestellulam, per quam modicum lumen possit cernere, praecipit aptari.

58. Cf. SEN. *benef.* 5, 6, 5 sol ... vetetur ... radios effundere LACT. *opif.* 8, 10 effusi ab oculis radii. VAL. FL. 5, 466 nova lux effusa Cytaeis. RUFIN. *hist.* 2, 10, 4 duplicatam ... lucem fulgor metalli ... effudit (Cf. THLL V, 2 223, 16-21).

# Aegrotat Pater Communis, Benignus Papa Johannes

Maestitiae diebus quibus defunctus Pontifex Maximus Joannes XXIII valde laborabat, ad nos pervenit hoc scriptum Antonii Pagano, humanissimi Professoris siculi: quo cum omnium nostrum amoris et venerationis sensa erga benignissimum Pontificem exprimantur, illud libenter, post mortem, edimus ut in nostris Commentariis intimas maeroris et amoris significationes, quibus Ille nobis decessit, expromamus.

Totius orbis homines cujusvis religionis vel nationis ingenti maerore hisce diebus afficiuntur quandoquidem Pater Communis, Benignus Papa Johannes, vehementer aegrotat ejusque morbus cui, pro dolor, nullum remedium potest inveniri, nisi Deus Misericors opem Suam afferat, in horas ingravescit: atrocissimus Pontificis labor tantillum interdum desinit quo vehementius post breve intervallum Augustum Infirmum adoriatur.

Attamen nondum octo dies praeterierunt ex quo clara vox Ejus ex vaticanis microphoneis resonuit ut paterne alloqueretur operarios qui ad Mariale templum oppidi Pickare turmatim quotannis peregrini convenire solent: «Erga vos», ita inquit, «cor Nostrum dilatatum est... Sentimus animum nostrum perquam suaviter tangi et, ampliata in inmensum caritate, vos omnes complecti».

Quotiens auribus audivimus nostris istud verbum ineffabili amore redundans: «Complecti»; quotiens, gaudio corda perfusi, audivimus ex Ejus ore: «Vos complector», «Vos, dilecti filii, omnes simul complecti cupio»; «Tam Orientalem quam Occidentalem Ecclesiam complectimur», ut affirmavit postridie quam ad Petri Cathedram evectus erat in radiophonica illa adlocutione tanta animi simplicitate ut quisque subito animadverterit Pontificem nuper electum non solum Pastorem et Nautam, ex Malachiae verbis, tum etiam Patrem fore amantissimum quippe qui omnes amplecteretur homines tisdem animi sensibus quibus pater natos amplecti soleat omniaque pro illis perpeti audeat.

Nemo tum deceptus: novus enim Pontifex ea, quae nuntiaverat, perfecit, quin etiam usque a primis Pontificatus Sui diebus tam multa aggressus ut admiratione omnes impleverit. Nullum praetermittebat diem quin homines ubicumque alloqueretur, maxime miseros excruciatosque (nonne majus auxilium et solacium miseri exigunt?), infirmos sacerdotes, pueros, praeteriti temporis sodales, humiles, inter quos libenter versabatur quibusque, ut paucis ante annis, cum Venetorum Patriarcha esset, res suas in simplicitate cordis argute enarrabat.

Pastor Summus inter dilectum gregem; inter populum Episcopus sollers; Sacerdos bonus inter fideles: omnes poterant ad Eum accedere, Ejus firmam dulcem vocem audire, anulum devote osculari, tristitiam coram tam Augusto Antistite in gaudium convertere. Totum orbem, vere dici potest, et sustinebat et amantissime continebat nulli parcens labori ut Ecclesiae fideliter serviret Petrique naviculam inter ingentes fluctus peritus nauta gubernaret: quis enim oblivisci potest sermones ab Eo habitos ut pax in cruentis algerinis terris, post tot calamitates, tandem instauraretur vel ut in insula Cuba belli fax subito exstingueretur? Pontificis verba hortari numquam desinebant ut pacis fundamenta firmarentur ab illis praesertim viris quibus omnium mortalium sors est commissa utque ducerent almam pacem thesaurum quo melior in terris non inveniatur: omnia bello funditus delentur, omnia autem pace florent.

Hac trepida hora qua Pastor et Nauta valde aegrotans magna cum animi serenitate, at flagranti hominum coetus amore incensus, strenue cum morbo dimicat (*«Soffro molto, ma con amore»*) Deoque Optimo Maximo confisus vitam suam vovet pro Ecclesia, pro Oecumenico Concilio et pro universali pace (*«Sono come una vittima sull'Altare per la Chiesa, per la Pace, per il Concilio»*), facere non possumus quin, dolore percussi, cogitemus mundum pauperiorem esse evasurum si Pontifex noster viduam Ecclesiam et nos orbatos deserat: numquis silentio praetereat quam valida fuerit Ejus opera in compellendis hominibus ad pacem et unitatem (*«Ut unum sint», «Unum ovile, unus Pastor»*) et ad persequendam bonitatis viam qua homines justitiam facile adipisci possunt?

Dum Pastor bonus in cubiculo suo corporis dolores aequo animo patitur caelestique Beatissimi Regni gaudia jam percipit, homines in Petriano foro congregati, in quo Pastoris vox compluries resonuit in docendis hominibus vel in precibus diebus festis meridie Deo faciendis, et singuli et in conventiculis, omnibus orant sermonibus, certiores fieri percipiunt de Patris valetudine, transeuntium ora anxie scrutantur, noctu sub divo spe adducti manent insequentis diei primam lucem exspectantes. Quid hoc significat? Cur tanta trepidatio? Quid homines, mulieres, puerulos ad fletum movet? Amor nempe erga amantissimum Patrem in terris Christi vices gerentem, quo amisso lugeant filii ut olim Ecclesia Divino Conditore orbata.

Trepidant qui cum ab Apostolica Sede sejuncti sint, tamen diligunt Benignum Papam Johannem, quo auspice, quandocumque unitatem cum Catholicis inventient; trepidant qui in Christi agmine haud cooptantur utpote qui Pontificem Nostrum conspexerint validissimum pacis fautorem ac pontem inter nationes, quae, cum calamitosis armis multum possint, haud paucos metus in omnes homines incidunt; trepidant, incredibile dictu, etiam qui nullum esse Deum rentur, quia animadvertunt inermem Senem candida veste indutum, praeterquamquod Christi Vicarius, hominibus pacem optan-

tibus vere esse amicum (*«Nella misura in cui un ateo possa essere capace di pregare, io prego per Voi»*); trepidant innocentes pueri quibus paternus Papa Roncalli amorem abunde largitus est (*«Accarezzando i bimbi, dite che è la carezza del Papa»*); trepidant nocentes vinclis in aedibus poenae detenti ad quos Summus Pontifex se contulit ut pacis amorisque verba profunderet; trepidant tandem socordes qui nunc tantum intellegunt candidum Patrem plenis manibus, sollertis satoris instar, effundisse bonum: Pater Communis doloribus excruciatum, dum homines ingenti percussis metu trepidant, solacium, intrepida fide innixus, praebet (*«Ego sum Resurrectio et Vita»*, *«La vera vita comincia dopo la morte»*, continuo repetit), eosque ex doloris cathedra suaviter docet pati, quandoquidem christianum est tolerare quidquid mali evenit terrenisque cruciatus ducere optimum iter quo ad aeterna gaudia homo pervenit.

Mirum fortitudinis ac fidei intrepidae exemplum! Tanti Pastoris vitam exemplar sumamus et, quantum possumus, imitari nitamur Pontificem nostrum Beati Pii Decimi vestigia animo firmo, ardenti fidei igne atque ineffabili dulcedine sectantem qua homines capti statim alliciuntur.

AEGROTAT  
 PASTOR ET NAVTA  
 BENIGNVS PAPA JOANNES  
 AB OMNIBVS ORBIS HOMINIBVS  
 VALDE DILECTVS  
 VNA CVM EO  
 VEHEMENTER LABORAT  
 HOMO QVISQVE  
 CVIVSVIS RELIGIONIS  
 AT AB AVGVSTI IMFIRMI  
 INVICTA ANIMI CONSTANTIA  
 CONFIRMATVR HOMO  
 DVLCEQVE SOLACIVM  
 ACCIPIT  
 QVO  
 ANIMVS ETIAM PROSTRATVS  
 IN SPE REVIRESCIT

ANTONIUS PAGANO



# ITER DANTIS IN DEUM

Alae candidae et Umbrae transvolantes mare

## ANGELICUS NAUTA

(*Purg.*, c. II, vv. 1-51)

Jam sol Hesperias lambebat cernuus undas  
et Nox, opposita de regione rotans,  
dum Librae stellis ab litore Gangis obibat,  
quas orto properat linquere solstitio;  
orbe et in adverso Solymis Aurora nitebat  
cana prius, rubra post, denique flava comas.  
Nos peragrabamus mare juxta, sic iter ut qui  
pendens, corde volat, corpore sistit adhuc.  
Ecce, velut crasso stagnante vapore rubescit  
aequor ad occiduum Mars ineunte die,  
paruit — o iterum videam! — levis aequore fulgor,  
mobilis ut nullum pars genus alituum.  
A quo cum, dubius, paulum mea lumina flexi,  
grandior est factus perspicuusque magis.  
Mox et utrimque dein quid nescio claruit album,  
albus item subter prodiit inde color.  
Duxque nihil, nec me quaerentem certa moratur,  
quoad ala est visus candor utrimque prior.  
Hinc, ubi cernenti manifestus nauta refulsit:  
«Nitere» clamavit, «nitere humi genibus!  
Angelus ecce Dei: dabitur jam saepe supremi  
hos Regis fomulos visere: junge morus!  
Carbasa vel tonsas, humanas neglegit artes,  
remigio alarum, conspice, fulmineus.  
Sublime arrectis pertractans aëra pennis  
non mutabilibus, transvolat Oceanum».  
Ales divinus super his grandescere forma  
et propior fieri, gliscere luce simul:  
quo deflexi oculos, mortalia namque propinquum  
tantum ferre jubar lumina non poterant.  
Appulit is, tetigitque solum quae nil gravis undis  
cymba, sagitta velut, caerula transierat.

Exstabat tacitus, rutila sed fronte beatus  
 extrema in puppi portitor aetherius;  
 plurimae et intus erant Animae psalmumque canebant  
 plebis Hebraeorum de reditu in patriam.  
 Nec mora: nam simul ac super Umbras signa Salutis  
 in Cruce describens extulit ille manus,  
 hinc cupidae optatum trepidant contingere litus,  
 hinc iter is rediens ingeminat volucer.

Vapor elysius in expiationis fastigio

## MATELDA APUD FLUVIUM IN DIVINO NEMORE

(*Purg.*, c. XXVIII, vv. 1-69)

Vivida divinam nemorosa per atria silvam,  
 exoriente novo vix penetrata die,  
 lustrandi cupidus, nil amplius inde moratus  
 illius elysii limina transilui,  
 umbriferis spatians in campis inter odores,  
 cum late fragrans undique oleret humus.  
 Flamen dulce, metro numquam mutabile, frontem  
 mulcebat, velut hic<sup>1</sup> cum tremit aura levis;  
 quo frondes illuc pariter trepidare videres  
 montis ubi sancti spargitur umbra prior,  
 non ita de recto tamen illas vergere, motus  
 ut pavidae premerent vel modulamen aves;  
 quin laete unanimes grato sub mane canebant,  
 arboreum fremitum consociante loco,  
 quale sonat concors, cum spirat Atabulus, omne  
 pinetum, Classis<sup>2</sup> quod prope litus habet.  
 Desierant veteris nemoris jam limina cerni  
 —tam, licet incesso lenior, intus eram—,  
 cum tenuis patuit laevus per gramina rivus  
 transverse fugiens imposuitque moram.  
 Quaelibet in nitidis heic<sup>3</sup> est nitidissima lympba,  
 perlucescit vitreo nulla nitore pari,  
 jugiter is quamquam densis sublabitur umbris,  
 quas ibi non radiis sol neque luna ferit.

- 
1. «Hic», id est in terris, ubi Poëta sua fundens carmina sedet.
  2. Urbs Classe, vel Chiassi, apud Ravennam.
  3. Videas antecedentem 1am. adnotationem.

Sustentis pedibus, volvi tunc lumina parvum  
trans fluvium, varie gemmea prata tuens;  
ac velut interdum, miranda ubi protinus exstat,  
ad se mox visus res inopina rapit,  
avocat et prorsus mentem diversa secutam,  
illic haud aliter paruit una mihi  
sola canens mulier, florem quae ab flore legebat,  
ex quibus ejus erat tota corusca via.  
«O mulier pulchra et cui fulgor amoris in ore  
candet, ubi cordis suevit adesse color,  
huc propius» dixi «subeas, precor, atque benigne  
fac discreta tuum det mihi verba melos.  
Persephones formam repetis, cum perdidit illam  
mater, et e gremio perdidit illa rosas».  
Ut quae radit humum leviter cum blanda chorēis  
se versat minimis stricta pedes gradibus,  
versa ea purpureos inter flavosque colores,  
ceu castos oculos virgo pudica premit,  
obvia cum dulci sonitu sua dicta canora  
reddidit accedens auribus apta meis.  
Vix ripam tetigit, molles qua leniter herbas  
jucundi amniculi limpida lambit aqua,  
luminibus tandem sublatis splenduit illa:  
splenduit, ut tantum non radiasse jubar  
sub ciliis credam Veneris cum pectora matris  
inscius accendit cuspide laesa puer.  
Margine in adverso sistens elata venuste  
ridebat mulier; suavibus et manibus  
nectebat varios, quos sacri in vertice montis  
flores de nullo semine terra parit.

Seraphicus Paupertatis amator  
**SANCTUS FRANCISCUS**

(*Parad.* c. XI, vv. 43-117)

«In medio Tiniae et fluvii, quo ex colle Beati  
devenit Ubaldi vena perennis aquae,  
fertilis est clivus, devexus monte sub alto,  
unde Perusinos frigus et aestus adit  
de Porta Solis, retroque gementia subdit  
mole gravi Gualdum Nuceriamque jugum.

Hinc, ubi fit fractus levior, sol exstitit alter,  
 ex Gange interdum surgere ut iste solet <sup>1</sup>.  
 Non ideo Ascesis bene nunc dicatur ab ullo  
 hic locus, ast Oriens nomine rite suo.  
 Terris, cum longe is nondum distabat ab ortu,  
 virtutis celsae munera prima tulit;  
 pro domina retudit patris namque ille furorem,  
 quae, ut Mors, a nullo comiter accipitur;  
 it sibi eam junxit, coram patre, Praesule coram  
 cum populo, aeterni foedere conubii  
 inque dies inde est majore amplexus amore.  
 Haec, postquam primi conjugis orba fuit,  
 centum ac mille relicta, pudens, stetit amplus annos,  
 hoc tenus, heu, nulli conciliata viro.  
 Nec valuit tutus comes illi inventus Amiclas  
 a duce quem tellus, quem mare contremuit;  
 nil virtus valuit, qua, sub Cruce stante Maria,  
 flens ea cum Christo flente superna stetit.  
 Denique Franciscus cum Paupertate fideles  
 hos tene amatores, ut resoluta loquar.  
 Dulcis amor, visus hilares, concordia felix,  
 sanctae aliis castus fons pietatis erant.  
 Ecce, pedes primus venerabilis exiit ergo  
 Bernardus; tanta pace frui cupidus  
 advolat atque sibi tarde celerare videtur.  
 O incognitae ope, dans bona cuncta bonum!  
 Exiit Egidiusque pedes, Silvester et ipse,  
 pone statim sponsum; sic ea sponsa placet.  
 Cum domina tunc atque suis pater ille magister  
 it, quos jam fratres spreta capistra ligant.  
 Nec, Bernardonis Petri quod filius esset  
 ac mire objectus, pectoris ardor hebet,  
 fronte sed intrepida pandit regaliter altum  
 Pontifici inceptum duramque consilia:  
 et stupet, at, caute licet, Innocentius <sup>2</sup> addit

1. «Iste», sol ille scilicet naturalis, cujus in caelo Sanctus Thomas Dantem alloquitur, canens Sancti Francisci laudes.

2. Producta est vocalis in syllaba «no» ob nominis necessitatem, juxta hoc Propertii exemplum in altero dactylo pentametri post caesuram:

«Et domus intactae te tremit Arabiae»

(*Eleg.*, lib. III, I (10), 16)

Illius in normas fausta sigilla prior.  
Postmodo, cum propere pia gens paupercula crevit,  
talem mirandum crebra secuta virum  
cui vitam melius cantaret gloria Caeli,  
serto sancta novo lex redimita fuit  
Pastoris magni, cui fautor Honorius, auctus  
divino afflatu, certa sigilla dedit.  
Martyrii palmam sitiens dein, ante superbum  
Aegypti regem, nuntius angelicus,  
cum celebravisset Christum coetumque sequacem;  
hinc et ad optatam cum rediisset inops  
italicam frugem, ne se tardaret inanem  
gens nostrae Fidei cruda et acerba nimis;  
secretus supplex ibi, mons ubi Thybridis exstat  
atque Arni medius, scrupea saxa, rigens,  
ultima suscepit Christi de morte sigilla,  
quae deinceps annos membra tulere duos.  
Tempore quo Dominus, tanti largitor honoris,  
mercedem statuit solvere pro meritis,  
tunc, plane factus cum Paupertate pusillus,  
dulcem cordis heram fratribus ille suam  
commisit veluti justis hereditus, ipsam  
praeciens firma semper amare fide.  
Ejus et e gremio cupiit praeclara moveri  
haec Anima, ad Regnum sursus in astra poli  
sublimis rediens; et nonnisi tale feretrum  
nudus humi voluit corpus habere suum».

JOANNES AMBROSI

# NOVA ET VETERA

## DE FAMILIAE STIRPE SIVE DE GENEALOGIA

Ex quo homines esse ceperunt, nova et vetera semper fuere, quae ad familiam et hominum cognationes spectant. Ideoque hoc genere argumenti nullum vel antiquius vel recentius. Ita se res habet. Semper enim et parentes, semper et filii post genus hominum natum ab initio et fuerunt et futuri sunt. Quae adeo aperta res est, ut luce ipsa sit clarior.

In his pagellis obiter attingam quandam majorum posterorumque seriem generatim sumptam; quod quidem viam mihi paestruet ad vocabula expendenda, quae ad cognationem referuntur; subinde dicam, ex re nata, quo pacto latine hispanica totidem verbis exprimantur.

Generaliter, nomine «genealogiae» (ex gr. γενεά *generatio*, et λόγος *tractatio*), quae quidem late patet, significatur quorundam ascendentium series sive familiae stirps, scriptumque ubi ea continentur.

Apud nos, *arbor*, quae dicitur *genealogica*, est quaedam figurata descriptio —sub arboris forma— in qua nobis ob oculos ponitur origo cujusdam gentis ejusque processus, aut, quod idem est, certa avorum series sive progenies.

I. Ac ne plura, quae sunt paene innumerabilia, consector, comprehendam brevi, dicampe qua ratione familia bene morata constituatur.

Vir, qui est filius legitimus sive justa uxore natus, a quo ex ephebis excesserit atque adulta aetate factus, sponsam quaerit, modo a ducenda uxore non abhorreat. Hanc virginem nubilem sibi adsciscit in uxorem. Puella autem, jam matura viro utpote nuptiis tempestiva, nubere cupit, ut mater et uxor effici possit.

Deinde sponsalia celebrantur, id est, parentes filiam despondent. Adulescens autem puellam recipit, et alterum se alteri spondet, et conjugium paciscuntur. Tempore sponsalium peracto, parentes sponsam nuptui dant, sacroque ritu Mater Ecclesia matrimonio utrumque devincit ac rite conjungit. Posthac vero sponsi ceu conjuges habentur jugali vinculo adjuncti, eo quod matrimonii jugum subire ambo voluerunt.

Porro, ex conubio hujusmodi liberi, qua est Dei gratia, in lucem eduntur, gignuntur, procreantur, qui vitam parentibus acceptam referunt. Qui liberi, *fratres germani sororesque* inter sese et sunt et appellantur. Liberi autem, si mater, mirae fecunditatis femina, uno partu illos effudit, *gemi* vocantur.

Ceterum, parentibus filios, deinde nepotes, postea pronepotes videre fas est. Quod si Deus illis vitae copiam facit, etiam aliquando trinepotes sibi vivendi facultas datur. Quod tamen raro contingit, nam exiguis sane finibus vita hominis terminatur.

Hoc item modo, parentibus avos et proavos, quin etiam et tritavos non

numquam et habere et cognoscere licet, si modo vita longior illis suppetat. Sed haud trita res est atque communis, nam ut aiebam, proavis jam ad metam properantibus, quippe qui stadium vitae maxima ex parte cucurrerunt, antequam a suis trinepotibus cognosci valeant, vitam saepe saepius cum morte commutarunt.

II. Nunc progrediamur ulterius loquamurque de ipsa cognatione.

Duplex nimirum potest distingui cognatio: *naturalis*, quae et consanguinitas vel parentela vocatur, et *spiritualis*, quae oritur ex Baptismo et Confirmatione. Breviter de singulis:

A) *Cognatio naturalis seu consanguinitas*

Fons et origo consanguinitatis est *stipes* communis et quidem propinquus, ex quo nupturientes per generationem descendunt. Porro, ut recte judicari de consanguinitate possit, duo prae primis sunt consideranda: *stipes* et *linea*.

*Stipes* idem valet ac *radix* et *truncus*. Est autem ille a quo tanquam a radice communi nupturientes originem ducunt per generationem. Sic, verb gratia, avus est communis stipes nepotum, pater filiorum.


*Linea* vero nihil aliud est nisi naturalis series consanguineorum. Rursum duplex distinguitur linea: *recta* et *collateralis*. Linea recta vocatur series personarum, quarum una descendit ab alia: a) *ascendentes*, ut sunt pater, avus proavus, tritavus (= linea recta ascendens); b) *descendentes*, ut sunt filius, nepos, pronepos, trinepos (= linea recta descendens).

Linea vero collateralis sive transversa, est series personarum, quae quidem ab uno eodemque stipite proveniunt, sed non una ab alia. Exempla causa, frater et soror descendunt quidem ab eodem stipite, nempe a patre, sed frater non descendit a sorore.

En cognationum nomina secundum lineam, quae dicitur recta et collateralis:

LINEA RECTA		LINEA COLLATERALIS	
Pater	<i>padre</i>	Frater	<i>hermano</i>
Mater	<i>madre</i>	Soror	<i>hermana</i>
Avus	<i>abuelo</i>	Patruus	<i>tio carnal paterno (hno. del padre)</i>
Avia	<i>abuela</i>	Amita	<i>tia carnal paterna (hna. del padre)</i>
Proavus	<i>bisabuelo</i>	Patruus major	<i>tio 2.º paterno (hno. del abuelo)</i>
Proavia	<i>bisabuela</i>	Amita major	<i>tia 2.º paterna (hna. del abuelo)</i>
Tritavus	<i>tatarabuelo</i>		
Filius	<i>hijo</i>	Avunculus	<i>tio carnal materno (hno. de la madre)</i>
Filia	<i>hija</i>	Matertera	<i>tia carnal materna (hna. de la madre)</i>
Nepos	<i>nieto</i>	Avunculus major	<i>tio 2.º materno (hno. de la abuela)</i>
Neptis	<i>nieta</i>	Matertera major	<i>tia 2.º materna (hna. de la hermana)</i>
Pronepos	<i>bisnieto</i>	Fratris filii	<i>primos hermanos</i>
Proneptis	<i>bisnieta</i>	Sororis filii	<i>primas hermanas</i>
Trinepos	<i>tataranieto</i>	Fratris nepotes	<i>primos segundos</i>
Trineptis	<i>tataranieta</i>	Sororis nepotes	<i>primas segundas</i>

Jam quae hucusque dixi, quo brevius multa percurram et una facie complectar, oculis subjiciam *arborem genealogicam*:



Fortasse non erit abs re nonnulla difficiliora hispanice reddere:

patrus major,	<i>hno. del abuelo,</i>	frater avi	patruus,	<i>hno. del padre,</i>	frater patris
amita major,	<i>hna. del abuelo,</i>	soror avi	amita,	<i>hna. del padre,</i>	soror patris
avunculus major,	<i>hno. de la abuela,</i>	frater aviae	avunculus,	<i>hno. de la madre,</i>	frater matris
matertera major,	<i>hna. de la abuela,</i>	soror aviae	matertera,	<i>hna. de la madre,</i>	soror matris

patruales (ex patruo).	<i>hijos del hermano del padre,</i>	filii fratris patris
amitini (ex amita),	<i>hijos de la hermana del padre,</i>	filii sororis patris
consobrini (ex avunculo),	<i>hijos del hermano de la madre,</i>	filii fratris matris
amitini (ex matertera),	<i>hijos de la hermana de la madre,</i>	filii sororis matris

Cetera, ni fallor, quatenus in usu maxime veniunt, perquam clara videntur.

Tamen, apud auctores inveniuntur etiam haec:

Amita,	<i>tia, hermana del padre</i>	Avunculus,	<i>sto, hno. de la madre</i>
Amita magna,	<i>tia, hermana del abuelo</i>	Avunculus magnus,	<i>sto, hno. de la abuela</i>
Amita major,	<i>tia, hermana del bisabuelo</i>	Avunculus major,	<i>sto, hno. de la bisabuela</i>
Amita maxima,	<i>tia, hermana del tatarabuelo</i>	Avunculus maximus,	<i>sto, hno. de la tatarabuela</i>

Insuper, mentione digna sunt:

Patruissimus, *i*, vocabulum a Plauto inventum ad significandum patruum importunum vel e contra peramantissimum (apud nos foret «*tíssimo*»).

Sobrínus,	<i>primo hermano</i>	>	Patruelis, <i>is,</i>	<i>primo hermano</i>
Sobrinea	<i>prima hermana</i>			



Age jam, consanguinitas, si ex conubio provenit, *affinitas* nuncupatur. Aliis verbis, *affinitas* est proponquitas personarum orta ex conubio inter virum et consanguineos mulieris, atque vicissim inter mulierem et consanguineos viri. Reapse affines sunt viri et uxoris cognati, dicti ex eo quod duae cognationes — quae quidem diversae inter se sunt — per nuptias copulantur, et altera ad alterius cognationis finem accedit; nam conjungendae affinitatis causa fit ex nuptiis.

Inde affinium nomina habes:

LINEA RECTA		LINEA COLLATERALIS	
Socer	<i>suegro</i>	Levir	<i>cuñado, hermano de la mujer</i>
Socrus	<i>suegra</i>	Glos	<i>cuñada, hermana del marido</i>
Gener	<i>yerno</i>	Sororius (maritus sororis)	<i>marido de la hermana</i>
Nurus	<i>nuera</i>	Fratria (uxor fratris)	<i>mujer del hermano</i>
Vitricus	<i>padrastra</i>		
Noverca	<i>madrastra</i>		
Privignus	<i>hijastro</i>		
Privigna	<i>hijastra</i>		

Uti videre licet, parentes sive conjuges nominantur *gener* et *nurus* habitata ratione a socero et socro. Item, parentes appellantur aliquando *vitricus* et *noverca*: *vitricus* dicitur de viro seu marito ratione filiorum ex alio toro generatorum. *Noverca* vocatur femina intuitu filiorum, quos vir ex alio conubio procreavit. Sunt demum *privigni* et *privignae* (*hijastros*), qui sunt filii unius tantum conjugis ratione alterius.

Ceterum, ut ex dictis liquet, tritariam esse potest consanguinitas vel communio sanguinis. Si enim fit ex parte patris, *agnatio* dicitur; si vero ex parte matris, *cognatio*; si denique ex conubio provenit, *affinitatis* nomen sortitur.

### B) Cognatio spiritualis

Reliquum est ut cognationem demum spiritualem excutiamus. Haec est propinquitas ex collatione Baptismatis et Confirmationis orta. Cum enim homo christianus Baptismate denuo nascatur et hujusmodi nativitas in Confirmatione spirituali quodam modo compleatur, illi nempe qui ad haec sacramenta concurrunt, id est minister et patrini, tanquam parentes ei qui Baptismatis aqua lustratur, existimantur.

Hi nunc *patrini*, olim vero *susceptores*, *sponsors* seu *fidejussores* communi vocabulo vocabantur. Et re quidem vera, postquam aliquis in hanc lucem editus est, nutrice et paedagogo indiget, quorum ope atque opera educetur, ac doctrina et bonis artibus erudiatur; ita etiam necesse est, ut qui, ex Baptismi fonte vitam spiritualem vivere incipiunt, alicujus fidei et prudentiae committantur, ut ad omnem pietatis rationem institui possint.

Quocirca, non solum is qui baptizat cum baptizato, sed etiam susceptor cum eo quem suscepit, et cum ejus veris parentibus affinitate devinciuntur.

tur. ita ut legitima nuptiarum foedera inter hos omnes iniri non possint, atque inita dirimantur.

Praeterea, parentibus non licet eam curationem suscipere, ut ex eo magis appareat quantum haec spiritualis educatio a carnali distet et aliam prorsus cognitionem prae se ferre videatur.

#### VOCABULARIUM

- I. *Genealogia*: genealogia, series  
*Arbol genealógico*: arbor genealogica, avorum vel majorum series; gentis aut familiae stirps  
*Descendencia*: genus, eris; progenies, ei; posteritas, atis  
*Descendientes*: posteri, rorum; minores, orum  
*Ascendientes*: majores, orum  
*Linaje*: familia, ae; stirps, is; genus, eris.  
 —*Tronco de linaje*: stirpis auctor  
*Consanguinidad*: agnatio, onis; cognatio, onis; sanguinis communio, conjunctio  
*Casa o familia*: gens, ntis; familia, ae; genus, eris
- II. *Cónyuges*: conjuges, um  
*Marido*: Vir, ri; conjux, gis; sponsus, t, desponsus, t; uxoratus, t  
*Hombre hecho*: homo adulta aetate; ex ephebis excedens; homo maturus  
*Mujer*: uxor, oris; conjux, gis; nupta, ae  
*Recién casada*: nova nupta  
*Matrona*: matrona, ae; materfamilias  
*Mujer varonil*: virilis animi femina
- III. *Novios*: sponsi, orum; sponsa et sponsus  
*Doncella, núbil*: virgo nubilis; matura viro; nuptiis tempestiva  
*Por casar*: caelebs, ibis; inupta, ae  
*Soltera*: libera, ae; soluta, ae  
*Deseosa de casarse*: nuptias cogitans, cupiens, nupturiens
- IV. *Padres*: parentes  
*Padre, papá*: parens; genitor  
*Padrastró*: vitricus  
*Madre*: mater; parens, genitrix, -cis  
*Madrastra*: noverca
- V. *Matrimonio*: conjugium, ii; conubium, ii; maris et feminae conjunctio  
*Matr. clandestino*: matrimonium clandestinum sine testibus contractum  
*Divorcio*: discessio a conjuge; divortium, ii; a conjuge per dissidium discedere  
*Separación judicial*: disjunctio conjugum a iudice facta  
*Vida marital*: maritalis vita
- VI. *Hijos*: filii; liberi -orum; proles -is; suboles -is; progenies -ei  
*Hijo*: natus -i; —*recién nacido*: a partu recens, recens natu aut ortu  
*Unico*: unigenitus  
*Legítimo*: legitimus; justa uxore natus  
*Naturali libero et soluto concubitu susceptus*  
*Bastardo*: nothus -i; spurius -ii  
*Que nace muerto el padre*: posthumus -i  
*Hijastro*: privignus  
*Adoptivo*: adoptivus  
*Hija*: nata, filiola
- VII. *Hermanos*: fratres; fratres germani  
*De parte de padre*: frater consanguineus  
*De parte de madre*: uterinus frater  
*Gemelos, mellizos*: gemini, gemelli  
*Hermano de leche*: collactaneus -i  
*Hermanito*: fraterculus -i  
*Hermana*: Soror; soror germana

LEO M.<sup>a</sup> SANSEGUNDO, O. S. B.

Medellin in Columbia, mense Januario, a. MCMLXIII

# Quo scribendi genere in Majoribus Religiosorum conventibus utendum

«Major Religiosorum conventus» de quo nunc sermonem instituimus his paucis definiiri potest verbis: *Coetus seu congregatio Monachorum* (qui ad sodalicia pertinent quos *Mendicantes* vocant) *ad graviora sodalium negotia praeclare absolvenda*. Quorum *acta capitularia* ecclesiastico more scribere opus est.

Quid vero sit «ecclesiastice» scribere ab Antonio Bacci, praestantissimo illo latinitatis doctore atque cultore, discamus. Etenim ad suum carissimum Faustulum, quondam alumnum disciplinae suae, rescribens, haec praeter alia addit. «...cum vero aptae jam habeantur ad res significandas latinae voces, numquam id (scil. *graecari*) est faciendum. Ita verbi gratia, non *archivum* scribendum est, sed *tabularium*, quod latinum est verbum optimum. —Ac praeterea —quod pejus deteriusque est— non facilitate summa novae condendae sunt voces ex hodiernis sermonibus deductae; id enim non modo teretes elegantesque aures offendit, ut Tulliana utar sententia, sed interdum Folenghianam linguam, potius quam veram sinceramque latinitatem sapit. Quod, pro hominum ignorantiam nimio saepius hodie contingere videmus! —Itaque apud plurimos scriptores, ecclesiasticos praesertim, qui ceteroquin eruditione non carent, haec non raro leguntur: *dispensare aliquem a lege* (aliquem lege absolvere); *conscientiam examinare* (animi latebras scrutari; in se ipsum diligenter inquirere; vitae rationem a se repetere, vel repscere; censuram sui ipsius agere, vel gerere; diligentem sui ipsius recognitionem habere); (...); *confraternitas* (sodalitas); *distractio* (mentis evagatio); ...*praeconceptus* (praejudicata opinio); *praedicator* (contionator; orator sacer; Evangelii praeco); *respectus* (observantia; reverentia; honos; debitus honor); *provinciatatus* (provinciae moderandae munus); *generalatus* (generalis vel summi moderatoris munus); *canonicatus* (canonici munus, vel dignitas; canonicorum ordo); et ejusmodi sescenta! <sup>1</sup>

Ita sane!

Ego quidem «ejusmodi sescenta» diligenter evolvi, quorum perpauca tamen ex cujusdam sodalicii libris seu «Actis Capitulorum Generalium» adnotata hoc modo excerpsi: *ad sonum campanellae* (sonitu tintinnabuli); *dis-*

---

1. *Latinitas*. I, 2, 1953, pp. 9 -92.

*cursibus* (orationibus); *decreverunt quod sic* (annuerunt omnes); *ad Capitulum Generale spectabit* (Capituli Generalis erit); *se intromittat* (se immisceat); *quindecim vocum expressionem reportavit* (quindecim suffragiis praelatus est); *emissione quadraginta trium vocum* (quadraginta suffragiis); *tartarucis* (testudinebus); *de permissione* (permissu; jussu); *dictum* (memoratum); *cameram* (cellam); *importantiae* (alicujus momenti); *informatus extitit* (certior factus est); *primitus recommendationibus* (primum monitis); *girantes* (circumeuntes); *pro tertia vice* (tertia vice, tertium); *orationibus* (precibus); *unicus* (unus); *ordinavit* (jussit).

«Attamen ad perfectam in scribendo latinitatem assequendam minime necessarium est —ut Aonius Palearius, ut Julius Scaliger, ut Petrus Bembus Cardinalis eorumque aequales non pauci autumabant— ea usurpare vocabula dictionesque, quae veterum ethnicorum sapiant superstitionem, ac christiana doctrinae repugnent (. . .). Heic enim non de optima latinitate agitur, sed de religione sanctissima, cui omnia, atque adeo latini etiam sermonis elegantia, obtemperare debent. Ac praeterea cum de rebus scribitur sacris, animadvertendum est ea non posse repudiari vocabula, quae vel necessitas asciverit, vel catholica doctrina consecraverit, et quae nullo alio aptiore ac clariore modo adhiberi queant (. . .). Id tamen non ita est intelligendum, ut omnes cujusvis generis voces, quae ab ecclesiasticis scriptoribus usurpantur, facilitate, ut dixi, excipiantur summa, etiamsi aliae succurrant, quae optimam latinitatem redoleant. Hoc enim non christiana veritas, non catholica religio postulat, sed ex ignavia potius oritur atque imperitia multorum <sup>1</sup>.

Item A. Bacci, olim a Secretis Summi Pontificis, hodie vero S. R. Ecclesiae Cardinalis renuntiatus, eandem suam aperuit sententiam: «*in quale Latino dovranno essere redatti i documenti e gli atti Conciliari: Credo invece di dovere essere piuttosto severo, inquantochè mi pare che non si debbano relegare nell'oblio le nobili tradizioni di latinità classica, che fiorirono presso la Curia Romana dal tempo dei nostri migliori umanisti, e che poi furono riprese con rinnovato vigore da Leone XIII e dai Pontefici che gli succedettero (. . .). E' chiaro che non è il caso di chiamare —per un falso amore di purismo e di eleganza classica— l'Eucarestia crustulum salvificum, e l'Augusta Trinità triforme numen; ma neppure è lecito cadere nelle sciatterie di un Latino approssimativo che è tutto quello che si vuole fuorchè Latino; di un Latino che sa di Italiano, o di Tedesco, o d'Inglese... e dà l'immagine informe di un tappeto rovesciato*» <sup>2</sup>.

Sed fortasse dixerit quispiam Oecumenica Concilia tantum vel Consilia Sanctae Sedis scribendi genus «ecclesiastico more», i. e. elegans, politum... sibi unice vindicare; multo minus autem conventus, de quibus hic agitur!

1. A. BACCI, in *commentat. mem.*, «*Latinitas*», pp. 92-93, *Passim*.

2. Cfr. «*L'Osservatore Romano*», 26-27 febbraio 1962: «*In quale lingua si parlerà nel Concilio Vaticano II ed in quale latino saranno redatti i documenti e gli atti conciliari?*».

At contra, argumenta auctoritate gravia colligi puto. Nam v. g. Joannes XXIII, mandans S. Consilio Seminariis Studiorumque Universitatibus praeposito, ut Academicum Latinitatis Institutum condendum curet, haec, praeter alia, statuit: «In quibus scholis ad plenorem linguae Latinae scientiam, ad ejus usum, ad genus scribendi proprium et elegans ita informabuntur, qui vel ad linguam Latinam in Seminariis et Collegiis ecclesiasticis docendam, vel ad decreta et judicia scribenda, vel ad epistolarum commercium exercendum in Consiliis Sanctae Sedis, in Curiis dioecesium, in *Officiis Religiosorum Ordinum destinantur*»<sup>1</sup>.

Difficultates, igitur, si quae sint, bono animo... eae vincantur necesse est<sup>2</sup>, ita ut in majoribus quidem Religiosorum vel Monachorum conventibus scribendi genere *ecclesiastico more*, ut supra dixi, utamur.

NICOLAUS LUSITO, O. M.

**Mortem obiit.** — Johannes Rubenbauer, linguae latinae magister Monacensis maxime illustris idemque professor celeberrimus academiae Monacensis et scriptor eruditissimus *Thesauri linguae Latinae* [cf. *LATINIT.* 5 (1957) 115], septuaginta septem annos natus, a. d. VI Kalendas Augustas (i. e. die 28 mensis Julii) de vita decessit, in nosocomio quodam Monacensi medicorum arte curandus duobus diebus ante apoplexia gravissima correptus. Qui vir doctissimus inde ab anno 1909 *Thesauri linguae Latinae* conficiendo contentis viribus cujus vocabula ab *m* littera incohant, ipse munere redactoris functus scientissime perficere contendit finem molis jamjam consecuturus. Praeterea cum Johanne Baptista Hofmann, amico socio, librum artis grammaticae composuit et praeceptoribus et discipulis utilissimum, quo nulla exempla proponuntur nisi ex scriptis antiquis deprompta. Porro librum artis metricae summa diligentia conscriptum in publicum proposuit et libellum nominum in philologia usitatorum. Idem per septuaginta quinque semestria, id est per plus triginta annos, in academia Monacensi exercitationes latine scribendi habuit [cf. *PAL. LAT.* n. 170: 30 (1960) 67] id imprimis nixus, ut, qua erat humanitate, discipulos dociles perspicuitatem linguae latinae doceret et elegantiam et majestatem. Qui doctor humanissimus praeter scripta sive typis descripta sive nondum edita desiderium reliquit sui summum.

P. C. EICHENSEER

1. In «*Veterum Sapientia*», 6.

2. *Ibidem*, 5.

# PER ORBEM

**Latina Lingua ad res hodiernas exprimendas aptatur.** — Nemo non scit in quantam contemptationem lingua latina hodie venerit eis praecipue qui ad fabriles vel operosas artes incumbunt. Minime enim diligitur quod ignoratur... Tamen si casu urbem perlustraveris multas invenies rerum inscriptiones, latine expressas, quibus affirmari potest latinam linguam vere vivere, hodieque vigere. En titulorum indiculus:

Pasta dentaria	: <i>Dens</i>	Ventilator	: <i>Pax</i>
Vinum	: <i>Lacrima Bacchus</i>	Latrina	: <i>Sanitas</i>
Sapo	: <i>Lux</i>	Frigidis servandis instrumentum	: <i>Frigidus et —hic oportet ridere—</i>
Creta sutoria	: <i>Servus</i>		<i>Ignis</i>
Currus automobilis	: <i>Victor</i>	Splentum (quod hodie maxime ad domos collustrandas adhibetur)	: <i>Lumen</i>
Radiophonum	: <i>Invicta</i>		
Televisionis instrumentum	: <i>Optimus</i>		
Aqua odoribus imbuta	: <i>Caesar Imperator, Odor</i>		

Quid hoc sibi velit neminem praeterit: Latina lingua non mortua est sed adhuc floret... Praeterea cum breviter, presse paucisque verbis multa exprimat et quid habeat novi, antiqui, illustris, captiosi, ad res exhibendas maxime quoque valet.

Est quod linguae latinae ex animo gratulemur...

**Novus equus Trojanus sed... aliter.** — Certiores facti sumus de re nova vereque curiosa et digna quae legentibus nostris nuntietur. Gallus quidam, pictor nobilissimus cui «Nonda» est nomen, Parisiis domum suam sub Sequanae fluminis ponte struxit. Quam domum, instar equi Trojani lignis aedificatam, totam actis diurnis pictor contextit... Equi cavernas non milite armato complevit —ut quondam tracundus Ulixes— sed in his cubiculum, culina, thermopolium, quod permulti invisunt viatores, aptata sunt.

**Fabulae graecae aguntur.** — Auspiciis principis urbis, Santi Vincentii a Monte Alto, in Barcinonensi Provincia, fabula «Medea» in ipso maris litore, noctu prodita est. Maris infinita planities caelumque stellatum theatrum fuerunt Euripidis poetae fabulae illius quae apud scriptores et peritos maxima habetur omnium tragoediarum quae fecundo hominum ingenio sunt efficta. Animo commoto spectantes navem hellenicam Argonautarum, mari Mediterraneo —candida collustrato luna— adventantem conspiciebant, ita ut mythologicae scaenae uxoris Medae relictae vividae redditae sint.

Cum maxime spectatoribus haec in deliciis esset fabula praefecto urbis visum est singulis mensis Augusti diebus Jovis nocte «Medeam» reponere.

—Matriti, in urbe fabularum studiosissima et Emeritae —ubi optimum Hispaniae amphitheatrum est situm— Coetus Atheniensis qui «Theatrum Pi-

raeum» inscribitur, ludos scaenicos nuper celebravit, ubi in scaenam fabula Sophoclis «Electra» et Euripidis «Medea» inductae sunt. Diurnorum scriptores consentiunt tragoedias permotis animis palpebrisque immobilibus a spectatoribus conspectas esse. Sed ut res haec tanti quanti est aestimetur, non hispanico sed sermone graeco classico fabulae datae sunt. Chori vero et tragoediarum ita fuit vis mira et gestuum venustas ut spectantes magnos Coetui Atheniensi plausus ex animo impertierint.

Utinam —votum est plurimorum scaenographorum— Amphitheatrum Emeritense aptius, ornatius instruatur ut multa scaenae spectacula in eo agi possint; quo cultus antiquus, historia et institutiones —virtutibus humanis ditissimae— in animis altius infigantur.

**Inventa archaeologica.** — Ad Ovetensem urbem thermae romanae inventae sunt quae anno jam 1903 coeptae sunt investigari. Pars earum praecipua est hypocaustum. Quae thermae sub Nerone Imperatore structae, ad usum legionis IV<sup>ae</sup> Macedonicae adhibitae videntur. Longae quadringenta metra, thermis Pompejorum sunt simillimae.

—Cordubae paucos abhinc menses sepulcrum romanum plumbeum, aureum anulum, ramulusque querceus fructibus et foliis ornatus —achataque sculptus— reperta sunt.

—Massiliae ad portus oras, horreum excavatum est ubi triginta amphorae luteae duo metra altae singulae, quae, ad collum sepultae, ad servandum frumentum a Gallis adhibebantur.

—Ad Palentiam urbem sepulcra romana, villa —quae ex tabernis, quibus instructa est, sumptuosissima fuisse videtur— et conclave quadraginta metrorum quadratorum effossa sunt. Quod conclave, opus mirifice fabricatum et pictum, capite magno, quod deo Neptuno tribuitur, piscibus mythologicis tauro et duabus mulieribus ornatum est. «*Rap-tum Europae*» periti dicunt significare.

—Sumantim plurima archaeologica in Italia inventa dinumeravimus:

Longobardiae defossa est necropolis romana; Tusciae pars Fori ad orientem sita et cardo urbis maximus; in media Roma antiqua cloaca aetatis republicae et reliquae basilicarum; in Campania domus quae ex testimoniis epigraphicis, viri nobilis gentis Fabiae videtur fuisse, conclave etiam, pistrinum, thermopolium aliaque multa monumenta quae apud rerum antiquarum cultores permagni habenda sunt

**Moderatores Studiis Romanis provehendis,** qui quotannis numismate aureo eum ornant qui de Roma veteri copiosius et accuratius scripserit, hoc anno 1963 clmum. virum Josephum Lugli praemio decorarunt. Quod praemium die urbis natali in Horatorum et Curiatorum aula —ad sedes Capitolinas—, clmo. professori donatum est ob ejus de locis et aedificiis romanis eximia scripta. Cum vero, mala valetudine laborans, adesse non posset, clmus. vir Petrus Romanelli Instituti Studiorum Romanorum praeses, pro eo numisma accepit. Pergamena, qua etiam donatus est, hac ornatur inscriptione:

QVOD CLARI NOMINIS VIR  
 IOSEPHVS LVGLI  
 DE LOCIS ET AEDIFICIIS PRISCAE VRBIS  
 DILIGENTER EXQVISITIS ACCVRATE RECOGNITIS  
 EX ATHENAEI ROMANI CATHEDRA  
 ANNOS PLVRIMOS CERTIORA TRADIDERIT ARGVMENTA  
 EADEMQVE COPIOSE SCRIPTIS ILLVSTRAVERIT  
 S. P. Q. R.  
 VOTA PERLIBENTER ACCIPIENS  
 MODERATORVM INSTITVTI STVDII ROMANIS PROVEHENDIS  
 AVREVM NVMISMA  
 DELECTO CVIDAM EX ALMAE VRBIS CVLTORIBVS  
 PRAEMIO QVOTANNIS OBLATVM  
 EXIMIO RERVM ANTIQVARVM MAGISTRO CENSVIT DECERNENDVM  
 XI KAL. MAIAS ANNO DOMINI MDCCCCLXIII  
 DIE VRBIS NATALI MMDCCXVI

**Cimus P. Henricus Basabe S. J. Latinarum Litterarum et Graecarum** eximius doctor atque cultor studiosissimus —qui ab anno 1949, quo in Universitate Salmanticensi Humanitatum Classicarum Facultas condita est, professor fuit illustrissimus—, nunc annorum plenus —licet animi ardore fervens sit adulescens— curriculo 1962-63 finito, muneribus solutus est. Est quod honesto otio vitae tranquilla multis laboribus emeritis feliciter fruatur.

Maxima Patri Henrico Basabe fuit semper litterarum classicarum fovendarum sollicitudo. In memoriam mihi saepe occurrunt verba illa quae in Universitate Salmanticensi nobis repetebat: «Litterae classicae una cum Sanctis Libris fontes fere uni sunt ex quibus homines occidentis verum, vitam, artes bibunt...».

Si Commentarios, qui «*Humanitates*», «*Perficti*», «*Helmantica*» inscribuntur lector aderit eosque voverit multa de cultu romano et graeco eximie et alte scripta inveniet.

Die undecimo superioris mensis Junii scholam seu lectionem postremam in magna Universitatis aula habuit, cui plerique Professorum et discipulorum adfuerunt.

Nostram dicimus ex toto corde R. P. Henrico Basabe salutem qui Humanitatum classicarum semper fuit eritque, dum vivat, acerrimus propugnator.

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.



# BIBLIOGRAPHIA

*Enciclopedia Lingüística Hispánica*. Tomo I, *Antecedentes y Onomástica*. Tomo I —Suplemento, *La Fragmentación Fonética Peninsular*. Consejo Superior de Investigaciones Científicas. Madrid, 1960, 1962.

Amplissimum sane hujus corporis («Enciclopedia Lingüística Hispánica») propositum: «Reflejar el estado de la filología hispánica en estos años que acaban de doblar la mitad del Siglo XX». Ejusdem vero sunt moderatores: M. Alvar, A. Badía, R. de Balbín, L. F. Lindley Cintra. Ad unum omnes, in Linguística Romanica, nobilissimi magistri itque bene meriti.

Corpus sex continebitur voluminibus, quibus et alia extra seriem addenda praevidentur. Is autem magni operis cursus: I. Antecedentia linguarum hispanicarum. a) Linguae praeromanae, b) Lingua latina, c) Lingua «mozarabica». II. Onomastica. a) Anthroponymia; b) Toponymia. III. Philologia Hispanica. IV. Philologia Catalaunica. V. Philologia Ulissiponensis.

Quod ad tractatus III, IV, V, ea similis structura: a) Fontes; b) Elementa constitutiva; c) Phonetica; d) Phonologia; e) Morphologia; f) Structura vocabulorum; g) Syntaxis; h) Semantica; i) Areae lexicæ; j) Dialectologia; k) Cultus popularis et dialectologia; l) Historia linguæ; m) Bibliographia.

Prout res postulabit, unusquisque voluminis missis indicibus, et alii exarabuntur, quam amplissimi et accuratissimi. Toti vero operi praeit Introductio, a clarissimo inter Romanicos magistros Domino Raimundo Menéndez Pidal exarata.

Tomus hic primus est de «Antecedentibus et de Onomastica». Ei sunt auctores: Basaradas Parera, Díaz y Díaz, Dolç, Hubschmid, Lafon René, López Santos, Mariner Bigorra, Marsá, Menéndez Pidal, Montenegro Duque, Palomar Lapasa, Piel, Sanchis Guarner, Solá Solé, Tovar, Vernet Ginés.

Eae autem sunt rerum materiae: *El latín medieval*. *El latín de la Península Ibérica*. *Antro-*

*pontmia latina*. *Lenguas prerromanas no indoeuropeas*. *Lenguas prerromanas indoeuropeas*. *Toponimia prerromana*. *La lengua vasca*. *Hagiotoponimia*. *Toponimia de reconquista*. *Toponimia latina*. *Antroponimia prerromana*. *Antroponimia germánica*. *Toponimia germánica*. *El mozárabe peninsular*. *Toponimia fenicio-púnica*. *Toponimia arábiga*.

Tomus II Supplementum exaratum est a praeclaro Professore Damaso Alonso, estque de Fragmentatione Phonetica Paeninsulari. Juvat afferre hujus eruditae monographiae sectiones. 1. *Sobre el vocalismo portugués y castellano (Con motivo de una teoría)*. 2. *Diptongación castellana y diptongación románica*. 3. *Sobre la s- final de stiaba en el mundo hispánico*. 4. *Sobre las soluciones peninsulares de los esdrújulos latinos*. 5. *Vocales finales*. 6. *Resultados de -kt-*. 7. *Sobre la ü románica*. 8. *Resultados de -lj-, -kl-, -gl-*. 9. *Ensordecimiento en el norte peninsular de alveolares y palatales fricativas*. 10. *Metafonía*. 11. *B = V, en la Península Hispánica*.

Unusquisque voluminis pretium, 700 pesetis constat; ex subnotatione (*suscripción*), 600 pesetis.

PROTA GIURLEO, ULISSE. — *I teatri di Napoli nel 1600* La Commedia e le maschere. Fausto Fiorentino Editore. Napoli, 1962. Pag. 324

Volumen hoc unum et vicesimum in nobili illo corpore «Collana di Cultura Napoletana». Jam vero clarus vir U. P. Giurleo historigraphus est artis musicae ac «criticus» artis quod ajunt. In hujus autem scripta disseritur in primis de schola musica Neapolitana ab saeculo XVI ad XVIII. Multis in commentariis et encyclopedis scripta edidit, ut «Larousse de la Musique, Allgemeine Enzyklopädie der Musik MGG., Enciclopedia della Musica Ricordi, Dizionario biografico degli Italiani», cet.

In hunc librum redegit ea, quae tabularia et principes bibliothecae de theatro Neapoli-

tano ad memoriam nostram prodidere: «Il Seicento napoletano non ha segreti per lui».

Primum sermo est de theatris; tum de comicis («Spagnuoli»); deinde de personis vultuque comico; tres denique appendices cum nominum indice. Pars vero picturis dicata, ea est pulcherrima totaque artis graphicae ratione locupletata. Affabre confecta prima hujus libri pictura, in qua inscriptionem leges: «Fidelissimae Urbis Neapolitanae cum omnibus locis accurata et nova delineatio 1961».

A. MARQUÉS, C. M. F.

*Salust Werke und Schriften.* Lateinisch Deutsch. Herausgegeben und uebersetzt von Wilhelm SCHOENE, unter Mitwirkung von Werner EISENHUT. 2. Auflage. Helmeran Verlag.

Aptius hoc in commodo volumine totum opus quod exstat C. Crispi Sallustii in unum colligitur, germanica versione adposita, a nobili Professore G. Schoene exarata. Collega vero claro viro W. Eisenhut, haec altera voluminis editio, in melius reddita est. Alteri editio operum «De Catilinae conjuratione» et «Bellum Jugurthinum» (pp. 5-343); alteri vero adscribenda est praeparatio fragmentorum Sallustii (pp. 343-487) Ea vero sunt: «Orationes et epistulae excerptae de historiis; Epistulae ad Caesarem senem de re publica; Invectiva in M. Tullium Ciceronem; In C. Sallustium Crispum invectiva».

Et non nulla huic addidit editioni cl. v. Eisenhut, de Sallustio historico, de quaestione Invectorum atque Epistularum, de textu operum principum Sallustii (pp. 488-516).

Dolendum quod injuria temporum interitit opus «Historiarum libri V», quattuor orationibus ac duabus epistulis exceptis: insigne illius aetatis documentum, quod summo studio scriptor extrema aetate confecerat.

A. MARQUÉS, C. M. F.

VON FRITZ, KURT. - *Antike und Moderne Tragödie.* Neun Abhandlungen. Walter de Gruyter et CO., Berlin, 1962, pag. XXIX-510.

Maximi momenti liber hic, utpote qui a clarissimo antiquitatis classicae magistro, nempe Curtio von Fritz, sedula cura, ingenio sollertiaque exaratus est. Multiplex potius liber est, quod ex inscriptione «Neun Abhandlungen» apparet.

In densa triginta tere paginarum introductione, et propositum et ratio viaque ab egregio auctore explanantur. Ille autem loci ibi explicati: 1. Causa tragica et poetica iustitia in tragoediis Graecorum. 2. Oraculum oraculum apud tres principes Graecorum tragicorum. 3. Danidtrilogia Aeschylit. 4. Eteoclea effigies — in «Aeschylus» Sieben gegen Theben (The Erinys in Aeschylus Septem) —. 5. Haemonis amor erga Antigona. 6. In Ajacis interpretationem. 7. Euripidea Alcestis ejusdemque hodierni imitatores et critici. 8. Explicatio oraculi Iasonis-Medae, et Medea Euripidis. Origo et summa novem capitum Poëtices aristotelicae.

Reliqua tandem libri pars dicatur uniuscujusque argumenti explanationibus atque nominum, locorum, rerum nomenclaturis. Opus magnae eruditionis in arte critica et historica de tragoedia Graecorum.

CONGAR IVES M. J. — *La conciencia eclesiológica en Oriente y en Occidente del siglo VI al XI.* Editorial Herder, Barcelona, 1963, pag. 84.

Argumentum argute eruditeque a P. Congar O. P. explicatur

Hanc autem insequitur viam: I. Ecclesia, ut mysterium. Ecclesia, deificationis mysterium. Verbum incarnatum et Ecclesiae mysterium. II. Regimen canonicum in Ecclesia: a) Ecclesia universalis et Ecclesiae particulares; b) Principium oecumenicitatis ordinator: Summus Pontifex Romae et Imperator Byzantii; c) Munus Episcopi Romani juxta orientalem mentem; d) Sensus «pneumaticus» munerum ecclesiasticorum in Oriente; e) Duplex conceptus: acceptatio et separatio.

En tibi non nullae paginae quae de re orientali occidentali in Ecclesia aliquam lucem splendoremque afferent. Ad libelli calcem selecta subjungitur de hoc argumento, eoque hinc inde agitato, bibliographia, qua quidem lector rem penitus discernere possit.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

ZAHONERO VIVO, JOSÉ — CASANOVES ARNANDIS, LUIS. *Los Himnos del Breviario*. Segunda edición. pag. 271. Editorial Marfil, 1962. Valencia.

Pulcher profecto libellus, atque is nostris, temporibus opportunus, quibus amor et studium liturgiae admodum fovetur. Prima copiosa brevi exhausta operis editione, haec nova in lucem editur hinc inde perpolita, in qua ars typographica maxime splendet.

Breviarii Romani hymni, CLXII numero, commode ibi colliguntur; ad unum cujusque calcem ratio metrica strictim explicatur; in linguam hispanicam belle riteque convertuntur. Jam non uni sacerdotes, sed et fideles doctrina culti illi mem christianam aspirabunt pietatem, ad quam quidem fovendam, prout in prooemio fatetur Excms. Archiepiscopus Valentinus, a clarissimis auctoribus comparatum est hoc hymnarium.

Erudita de natura Hymnorum introductio libro praestit (pp. 7-16). Novem diversi Hymnorum modi ibi in quattuor tanquam genera cooptantur: Versus trochaici, iambici, choriambici, barbariniani. Brevis eos notio explicat in lectorum commodum. Index Hymnorum alphabeticus finalis animo quidem grato auctoribus rependendus, quippe qui usum libri facillimum reddere potest. Re quidem vera, altior rei intelligentia, altiore in Dei cultum pietatem, — quod auctorum fuit propositum —, gignet.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

BREVIARIUM ROMANUM. — Casa Ed. HERDER, Via Norico, 6, Roma.

Omnibus, qui ad normam Can. 135 C. J. C. horarias preces recitare tenentur, BREVIARIUM ROMANUM, ab Huberto Dessain, S. Sedis et S. Rituum Congregatione typographo, maxima diligentia in lucem nuper editum, proponimus et commendamus.

Hoc eo facimus libentius, quod haec Breviarii editio, non modo ex S. S. Tridentini Concilii decreto est restituta atque praescriptionibus in Apostolica Constitutione «Divino afflato» statutis; verum etiam recentissimis normis, decretis, ordinationibus a S. Rituum

Congregatione prolatis et usui cotidiano est accommodata.

Opus omne, ut pondere et crassitudine sit tractabile, in duos libellos dividitur, quorum sive in principio, sive in fine, paginae, quas vocant, fixae inventiuntur, quae partes saepius adhibendas referunt; neque vero paginae solutae ex ordinario desumptae, quae, commoditatis causa, suis locis induci possunt, nec Sacramentorum formulae brevissimae desunt

Vestis autem, quam dicunt, typographica, ita maxima est composita cura, ut nihil utilius, nihil pulchrius, nihil optabilius esse videatur. Litterarum formae nitidissimae, grandiusculae, bicolores; charta est illa quam Oxoniensem vocant; *Editio autem duplex: altera cum textu psalmorum e Vulgata, altera cum textu e versione Pii XII, Pont. Max. auctoritate edita.*

Preces, versiculi, psalmi, in eodem officio pluries repetuntur, ut ea statim et crebro ante oculos sacerdos habeat.

Ut hoc Breviarium Romanum ab omnibus sacerdotibus seligatur atque comparetur, ex animo vota facimus.

FRANCISCUS ALOISE

LUCIO ACCIO. — *Frammenti tragici*, a cura di R. ARGENIO, Società Editrice Dante Alighieri, Roma, pag. 91.

Cl. Professor Raphaël Argenio praeclara operum fragmenta poetae romani Lucii Accii hoc in volumine collegit, amplis ornavit commentationibus, eorum sensum explicavit atque aliorum scriptorum sententiis ditavit.

In primis pagellis de poetae vita, de praecipuarum fabularum intima ratione atque praestantia breviter et scite scribit editionis curator.

Opus pagellis parvum, affert ea tamen quae potiora sunt ad Accium poetam cognoscendum atque degustandum.

Tragoediae, quas auctor memorat, haec sunt: Antigona, Armorum iudicium, Atreus, Bacchae, Medea sive Argonautae, Meleager, Neoptolemus, Philocteta, Phindae, Phoenissae, Telephus, Tereus.

C. LATORNE, C. M. F.

HAFNER, HEBINZ. — *Vivencia de la culpa y conciencia*, Editorial Herder, Barcelona, pag. 218.

Liber de quo nunc agimus inter eos dinumerandus est qui theorias psychologicas ad medicinam tum corporis tum animi applicare student. Jam vero culpa moralis in homine non tantum res moralis est sed morbos qui in animo oriuntur permovet. Quae omnia auctor in libro exarando intendit patefacere. I. Neurosis essentia (pp. 17-95). II. Meta psychoterapiae (99-216). Haec duo capita praecipua in aliis partibus subdividuntur quo lectio jucundior atque facilius redditur.

Ex dictis patet opus peritis viris rerum psychologiae tum medicae tum speculativae valde commendandum. Ratio scribendi auctoris ejusque claritas et elegantia rem aperte manifestant et ea quae alibi intellectu subobscura sunt, hic splendor lumine illustrantur.

F. E. R. E. — *Centros de Enseñanza Superior*, Madrid, 1962, vol. I, pag. 607, vol. II, pag. 361.

Consociatio Hispanica Religiosorum Docentium opus hoc aggredi voluit cujus in primo volumine leges omnes hispanicae de superioribus disciplinis descendis congeruntur. Numeris tota materia distribuitur. Extremo libro rerum omnium index patet quo facilius leges invenire atque comparare possimus; nulla tamen eis subditur interpretatio sive commentatio.

Altero autem volumine R. P. Hilarius Marín, S. J., documenta potiora tum Sanctae Sedis tum Episcoporum ad Magisterium Ecclesiasticum atque ad juvenum conformationem spectantia collegit numerisque distribuit. Refert postea scholas quarum curam Religiosi habent, tandem commentarii quos Religiosi moderantur. Hoc volumen indicibus consentaneis completur atque commendatur.

En igitur duo volumina quae jam pridem omnes exspectabamus quaeque hodie nobis profert Consociatio Hispanica Religiosorum Docentium.

C. LATORRE, C. M. F.

FIRKEL, EVA. — *La mujer, plenitud y entrega*. Editorial Herder, Barcelona, pag. 143.

Jam diu ex opere «La mujer, vocación y destino» lectoribus hispanis nota erat Heva Firkel; nunc iterum curante Officina Libraria Herder in lucem prodit «La mujer, plenitud y entrega». Quo in altero opusculo magnopere splendet auctricis ingenium in his omnibus quae ad muliebrem vitam pertinent, interpretandis exponendisque.

Dubium non est quin hodierna hominum vita itinera offendat ignota quae tamen hominibus percurranda sunt. Jam vero difficiliora sunt quae vita familiaris profert praesertim feminis. Quo in itinere pericula obversantur, ad quae superanda Heva Firkel lumina sedulamque operam tum viris tum feminis praestat.

Laudanda auctrix eo quod selegerit nobilitum mulierum vitas quasi operis complementum quo penitus sensus libri dignoscitur atque perficitur.

Materia variis distributa capitibus et paragraphis et lectu et intellectu jucunda redditur.

FREIRE, A. S. J. — *Selecta Latina*, Livraria Apostolado de Imprensa, Porto 1961, pag. 485.

Hi sunt eclogarum optimi quibus clarissimus P. A. Freire, S. J., portiora totius latinitatis fragmenta digerit ut facilius alumni omnes linguae latinae amplam atque eruditam latinorum scriptorum cognitionem adipiscantur. Hoc igitur motus proposito auctor notitiam de «Initiis litterariis» atque de litterarum divisione praemittit. Postea de unoquoque auctore vitam, operum genus, iudicium, virtutes lectoribus refert priusquam textus exprobat.

Notanda denique sunt selecta fragmenta auctorum nostrae aetatis quorum latinitas ita viget et emicat ut paulo ab aureis linguae latinae temporibus differat.

Ut vero scripta penitus degustentur atque intellegi valeant notulas eis subdit lingua lusitana.

C. LATORRE, C. M. F.

MISTICOS FRANCISCANOS — *Camino abreviado del amor divino*. Editorial Herder, Barcelona, pag. 391.

Omnibus patet quanta sit in rebus spiritualibus praestantia Fratrum Minorum divi Francisci. Antiquis enim temporibus clarissimi fuerunt viri religiosi qui de amore et contemplatione Dei atque de virtutum ad Dei amorem assequendum scripserunt; eorum tamen scripta quam plurimis Christi fidelibus quasi in occulto jacebant. R. P. Martialis Lekeux eorum scriptorum compendium paravit ac R. P. Josephus L. Albizu in linguam hispanicam convertit. Qui quidem maxime laudandi eo quod scripta de rebus spiritualibus praestantissima reppererint nobisque tradiderint.

Itaque hoc in opere scripta inventes: Ricerti, Josephi de Tremblay, Joannis de Bonilla, Francisci de Osuna, Didaci de Estella, Sti. Petri de Alcántara, Claudii Frassen, ceterorum.

SERAFINI, AUGUSTO. — *Virgilio, antologia de tutte le opere*, S. E. I., Torino, pag. 271.

In dies novi eduntur libri quibus aut opera omnia Vergilii continentur aut singula separatim eduntur aut compendio anthologica praecipua comprehenduntur ut alumni et docti viri penitus clarissimum poetam cognoscant.

Augustus Serafini anthologica omnium operum vulganda curavit. Praemittit Vergilii vitae compendium quod Bucolica I, IV, V, IX insequuntur ac Georgicon et Aeneidos fragmenta. Versibus notulae apponit quibus eorum sensum ad verbum scitissime illustrat.

Valde laudandae in hoc opere tabulae, quae sive e codicibus sive e monumentis Vergilii personas seu scaenas tradunt.

Liber hic alumni praesertim commendandus cum Vergilii et copiosam et lucidam ipsis tradat speciem.

GASTI, LUIGI. — *Storia d'Italia*. Marzorati Editore, Milano, pag. 538

Opus sane plenum, cum in eo prudenter de antiquis temporibus historiae Italiae facta enarrentur. Indicis praecipua capita haec sunt: populi praetitalici, Romae condicio,

Graeci I<sup>o</sup> saeculo, Romani gentes in suam potestatem redigunt, Romani dominantur agrum pontinum, Dyonisius Tyrannus, Romani adversus Tarentinos, Romanorum potestas profertur...

Hujus historiae materia non tantum in capita dividitur sed et numeris distinguitur, quibus tota rei explicatio comprehenditur, quo mens neque opprimitur neque in legendo errare cogitur.

Opus admodum utile ac valde commendandum eo quod haec historiae romanae expositio ex suo ordine et intellectu clara et lectu jucunda sit.

EBERLE, JOSEPH. — *Viva Camena*. Artemis Verlag, Zürich, pag. 229.

Hoc jucundissimo libro carmina continentur poetarum nostrae aetatis, quorum alia versibus latinis classicis, alia postremae latinitatis more, scilicet rhythmico, exarata sunt.

Cl. v. Josephus Eberle linguae latinae amantissimus hanc editionem vulgandam curavit etque amplam praefationem praeposuit. Id autem unum cunctos, quamvis dicendi genere et versu varios, poetas conjungit: omnes enim consocii sunt se heredes et cultores «idearum» et virtutum, quae sub signo Latinitatis Occidentem conformarunt quaeque etiam nunc vigent ac valent.

Commentariolo de litteris latinis recentioribus, poetarum notitia atque totius libri indice operi finis imponitur.

CICERONE. — *Le Discussioni Tuscolane*, a cura del Prof. Vito Costa, Editrice, Ciranna, Roma, pag. 172.

Officina Libraria Ciranna, cujus libri maximo usui erunt alumni humanorum litterarum, quinquaginta fere opuscula vulgavit. Hoc corpore — quod *I Cirannini* inscribitur opera scriptorum classicorum continentur in quibus versio «interlinealis» alumni praebetur.

Praemittitur argumentorum synthesis, quam insequitur selecta bibliographia ad operis interpretationem atque commentationem.

Clarissimo Prof. Vito Costa qui in his libris parandis impense laborat felicem ucesum in aliis exarandis magnopere optamus.

C. LATORRE, C. M. F.

BRIGNOLI, FERNANDO MARIA. — *Cometes*. Ugo Foscolo, Roma.

Poëma 370 versuum «magna laude» in certamine Hoeufftiano anno 1962 ornatum auctor in vulgus edit illudque italice vertit. Ipse poëta sub fine poëmatis notitiam argumenti affert; *Cometes* enim titulum a cometa illo rubro sumit qui cum mors Caesariani, filii Cleopatrae et C. Julii Caesaris, appropinquabat in caelo visus est volitare: «sanguineus peragrat spatium sublustre cometes praecipitansque poli regione exstinguitur ima».

Si versibus delectaris, si linguam latinam amas, *Cometam* lege et magnam percipies animo voluptatem.

CARLOTTI, UGO. — *Dei sepolcri*. Ugo Foscolo, Roma.

Carmen ad Hippolytum Pindemonte, l. e. poëma ab Hugone Foscolo italice conscriptum, in versus latinos ab Hugone Carloti vertitur. Poëma insequuntur iudicia quaedam de «sepulcris» Hugonis Foscolo: «Quattro motivi fondamentali si discernono in questa lirica: la Morte..., l'Eroismo..., la Belleza... e la Fantasia o l'Arte che sottrae gli affetti umani alla morte e li rende immortali, versandovi il suo balsamo d'eternità» (CROCE).

Libellus completur ejusdem poëmatis paraphrasi.

PARATORE, ETTORE — *Eneide, libro IV*. Vittorio Bonacci, Roma, pag. 194.

Peritissimus interpres opus aggreditur longa et eruditiois plena praefatione, in qua opinionones expenduntur quorundam auctorum de Didone regina, de ejus nomine et persona, de causis quibus Vergilius hunc excursum litterarium seligere atque versibus enarrare voluerit.

Ac simul cl. v. H. Paratore pauca refert vitia hujus praestantissimi operis non quidem Vergilii ingenio tribuenda, sed quod retractare opus ac perficere non potuerit.

Ut tamen ad ima hujus IV libri Aeneidos pervenire possimus, commentaria legere oportet H. Paratore, qui textum in linguam itali-

cam non ad verbum convertit, sed scitissime interpretatur.

«Il dramma de didone s'inguarda in tutta la fondamentale prospettiva religiosa del poema..., da quest'aura di fatale e misteriosa religiosità si riverbera sull'episodio un palpito di drammaticità più profonda».

PROVERA, PAOLO. — *El retiro mensual*. Editorial Herder, Barcelona 1963, pag. 479.

Qui rebus spiritualibus vacant saepissime queruntur se aptis carere libris quibus orationem ferventi animo parent compleantque. Jam vero P. Paulus Provera e Congregatione Missionis, apud praestantissimam Officinam Librariam Herder opus hoc ex italica lingua conversum vulgavit, quo piarum meditationum praeberet argumenta et ipsam orationem redderet faciliorem.

Praecipua in libro laudanda sunt rerum copia piae considerationi propositarum et earum praestantia ad religiosam vitam optime gerendam; auctoris in explicandis quaestionibus elegantia et sobrietas; ac denique libri exhibitio et venustas quae legenti erit pergrata.

RUFINO, MAURICIO. — *Vademecum de ejemplos predicables*. Editorial Herder, Barcelona 1962, pag. 953.

Novus in vulgus editur liber in quo plurima dicta, facta, gesta, quae vulgato nomine «exempla» vocamus, copiosissime exhibentur.

Hujusmodi libri haud certe desunt; illi tamen qui coram altis loqui debent, saepe invenire nequeunt facta seu narrationes in quibus condere seu stabilire possint doctrinam. Qua de causa Officina Libraria Herder, cujus in optimis libris edendis praestantia satis cognita est, lectoribus librum hunc edidit, in quo qui pueros erudiunt aut hominibus christianam doctrinam tradunt semper et ubique apta atque idonea inventiant «exempla».

Liber tribus indicibus completur et pulcherrimis typis editur.

C. LATORRE, C. M. F.

MUNNO GREGORIO. — *La Lingua d'Omero*. In Appendice: *Elementi di Prosodia e Metrica Omeriche*. Editrice M. Ciranna, via Cardinale Agliardi, 15, Roma, pag. 102.

Perspicuitas in dicendo et in persuadendo vis: en tibi praeclari auctoris G. Munno, in latina lingua docenda atque graeca emeriti, maximum propositum. Bibliographia rerumque explicatio praemittitur quae doctis viris maxime idonea erit.

Libri autem explicatio comoda et facilis. Non nulla in primis de HomERICA lingua praelibantur. Tum de formis atticis aeolisque. Deinde de ionico tamquam colore in sermone homerico. Statim Phoneticae primordia explicantur. Fustius de nominali Morphologia, et de adjectivi morphologia brevius. Deinde de numerali, de pronominali Morphologia.

Morphologia autem verbi ad unguem explorata, neque de re syntactica praecipua elementa praetereuntur. In appendice elementa potissima de Prosodia et de Metrica homERICA explicantur, quae quidem non nulla in homerico textu, prima facie «contradictoria» facile discipulo apparebunt.

Hoc scilicet adminctulo, homericae linguae cultores animo quidem sereno operam studio laborique propriae institutionis et culturae dabunt. Illud Pascal's dictum studiosis homericae linguae magister G. Munno memoratum voluit: «In parecchi punti la lingua omerica presenta aspetto più recente che l'attico».

#### PHILOPONUS

VON GERKAN, ARMIN. — *Von antiker Architektur und Topographie*. Gesammelte Aufsätze. W. Kohlhammer Verlag, Stuttgart.

Huic praestantissimo operi edendo sedulam navavit operam clarissimus vir Ericus Boehringer, Institutii Archaeologici Germanici Praesidis honorandi. Agitur vero de ampla scriptorum collectione, ab egregio magistro A. von Gerkan exaratorum, de architectura et topographia apud pristinas historiae gentes.

Pondus hujus voluminis, maximi quidem momenti ad sapientium studium et investi-

gationem propositi, ex ipsa libri nuncupatione dignoscere valet studiosus lector. Cujus haec, ad verbum, ratio:

«Arminio de Gerkan / septuagesimum quintum diem natalem agenti / architecto / linguarum antiquarum peritissimo / antiquitatis monumentorum indefesse effesseri / investigatori sagacissimo / viro studiis historiae vitaeque insigni / collegae honoratissimo / critico severissimo / DDD / Praeses et Rectores Institutii Archaeologici Germanici / Berolini pr. Kal. Dec. MCMLIX».

Magnae quidem molis volumen (pp. XII-463), una cum duabus et triginta paginis tabularum pictarum, innumeris missis in textu delineationibus de technica in construendum domorum arte. Magnopere his commendandum opus, qui archaeologiam et architecturam altius callere exoptant. Nobilis Institutii Archaeologici germanici Praeses, Doctor E. Boehringer, erudite sciteque in praefatione de re agit, qui volumem sapientibus quasi degit atque explicat.

CORRENTI SANTI. — *Magister: Antologia del pensiero pedagogico romano dalla fine della repubblica all'avvento del cristianesimo*. Società Editrice Internazionale, Torino, pag. 86.

Parata sunt haec anthologica vel litterarium florilegium in usum alumnorum IV classis magistrals, a claro litterarum latinarum Professore S. Correnti. In auctoris mente propositoque ea fervet ciceroniana vox: «Quod enim munus reipublicae afferre majus meliusque possumus, quam si docemus atque erudimus juventutem?» (*De divin.*, 2, 2, 4).

Quocirca ratio paedagogica in seligendis latinatis flosculis, maximae curae ei est. Non hic Livii vel Taciti anthologica, sed latina ampliore sensu: in his enim stili et historiae varietas. Et profecto cum libri inscriptione ipsius concordat magistri ratio et via in libello exarando ac perficiendo.

Apposita videlicet excerpta ex Sallustio, Cicerone, Vergilio, Horatio, Seneca, Quintiliano, Tacito, Plinio Juniore, Juvenale, A. Floro, Sancto Hieronymo, Sancto Augustino: ampla anthologica paucis in paginis confecta.

Argumenta vero nitida; et explicationes ad calcem copiosae utilesque; et indices vere ad rem elaborati. Brevis, Introductionis causa, historia scholae Latinae adest. Paucis, auctoris propositum «paedagogicum» hoc libello quasi imbibitur, alumnis Latinarum litterarum certo certius profecturo

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

HOMER ILIAS. Uebertragen von Hans RUPÉ, mit Urtext, Anhang und Registern. — HOMER ODYSSEE. Uebertragung von Anton WEIHER, mit erläuterndem Anhang und Namenverzeichnis. HOMERISCHE HYMNEN, Griechisch un Deutsch, herausgegeben von Anton WEIHER, 2. Auflage, 1961, Ernst. Hejmeran Verlag, Muenchen.

In nobili illa germanica «Bibliotheca — Tusculum» totum Homeri opus, tribus commodis voluminibus, nuper altera editioe prodit: quod quidem linguae graecae cultoribus maxime arridebit, cum in his et ars critica et ratio typographica totaque rei dispositio magnopere effulgeant.

Primum volumen, mille circiter pagellis complectens, Iliadi tribuitur. Textus graecus ex Stegemann-Hoehne, jam diu exaratus omnibusque notus, sumitur. Quattuor et viginti nobilissima Homeri carmina, quasi poeticae dices scansiones, aptissime distinguuntur ac nitide connumerantur.

Germanica vero versio facilis ac verbis fidelis. Amplissima consequitur appendix; enumerantur codices, rerum nominumque copiosi indices.

Aliud volumen, in quo Homeri Odysseam edidit nobilissimus Prof. A. Wehler, de re Homerica apud doctos viros bene meritis. Conversio magnopere commendanda: ad verbum quod fieri potuit; libera, ut arte litteraria postulat.

Ad Homeri Odysseam utilissimae adduntur adnotationes: de poesi, de natura linguae, de vitis in Odyssea, de psychologia Homerica, de dis. Non nullae quoque de singulis poematis adduntur explicationes, et bibliographia, indices rerum nominumque vel maxime accurati supponuntur.

Tertium denique volumen: Hymna Homerica ab eodem Professore A. Wehler paratum est, quo totum de Homeri perficitur et cumulat opus. Triginta hymni Homeri et critico textu afferuntur et apta versione germanica ornantur.

Instar appendicis non nulla exponuntur de hymnis Homericis; notae grammaticae, poeticae, mythologicae, historicae peropportune ab egregio scriptore contextuntur

Illud antiquissimum maximumque graecae linguae monumentum omniumque bonarum litterarum thesaurus, quod est Homeri opus, hac nova editioe, curante diligentissimo editore Ernesto Hejmeran, summo meritoque cumulat est honore.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

PLINE L'ANCIEN. *Histoire Naturelle, livre XXVIII.* — Texte établi, traduit et commenté par A. Ernout. Société d'Édition «Les Belles Lettres», 95, Boulevard Raspail, 1962. Paris.

En novum tibi volumen in nobili corpore «Guillaume Budé» cuius membrum est clarissimus Professor A. Ernout. Egregius vir J. André librum quoque recognovit.

Jucunda sane res nostris reconditae doctrinae diebus, recolare quae hoc libro Plinius latinitatis haud ita aequali, in memoriam tradidit. Continentur ibi medicinae ex animalibus. Ex homine remedia, contra magos (I-II). An sit in medendo verborum aliqua vis (III). Ostenta et sanciri et depelli (IV-V). Ex vitro medicinae et observationes (VI-XXIII). Ex peregrinis animalibus (XXIV-XXVII). Medicinae communes ex animalibus feris (XXXIII-XXLI). Lactis usus de caseis, butyro, oxygala...

His autem verbis argumentorum summa: Medicinae et historiae et observationes: MDCLXXXII. Ex potioribus vero monumentis textus latinus est coaptatus; conversio gallica et solidae eaeque frequentiores adnotationes rem faciliorem reddunt, quae hinc inde haud ita intellectu facilis evadit. Indice nominum rerumque opus completur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.



XENOPHON. - *Der Zug der Zenntausend, Cyri Anabasis*. Griechisch-Deutsch, herausgegeben von Walter MUERI. Ernst Heimeran Verlag, 2. Auflage, Muenchen.

Altud volumen ex nobili illo corpore quod «Tusculum - Buecherer» inscribitur, cuius est latinae et graecae litteras classicas quaquaversum notas facere. Septem librorum Anabasis textus graecus, una cum ejusdem operis germanica translatione, quae scholis maximo erit commoda in discenda lingua graeca, quasi hujus libri summam constituunt.

A pagina vero 468 libri apponitur appendix. Non nulli in primis ex Xenophontis vita, a fonte pristino desumpti, loci memorantur (Xenophon, *Historia Graeca* III 2, 7; Id. II 4, 2-7; Id. III 1, 1-2; Plutarchus, de *gloria Atheniensium* 34 E; Xenophon, *Historia Graeca* III 2, 18; Isocrates, *Panegyricus* (4) 145-149; Demosthenes, de *Rhodiorum libertate* (15) 23-24; Polybius III 6, 9-10; Arianus, *Alexandri Anabasis* I 12, 3; Dionysius Halicarnassensis, ad *Pompejum* c. 4; Dio Chrysostomus, *oratio XVIII* 13-17).

Tum clarus scriptor brevissima de opere et vita Xenophontis verba facit (pp. 480-486). Tandem et libros de re profert, atque indicem Nominum monetarumque, ac mensurarum et chronologiae explicationem (pp. 487-504). In usum scholarum peropportunist opus, quod nostris lectoribus commendatum maxime volumus.

A. MARQUÉS, C. M. F.

Q. Horati Flacci opera. Vol. I. *Carminum libri IV, Epodon liber, Carmen saeculare*. pag. LXIV - 166. — Vol. II. *Sermonum libri II, Epistularum libri II, De arte poetica liber*. pag. XL - 314. Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum. In aedibus Jo. Bapt. Paraviae et Sociorum. Taurini, in Italia.

Haec horatianorum operum volumina recensuit clarissimus latinitatis Professor artisque criticae magister Dominicus Bo. Primum volumen, quod antea ediderat clarus vir Maximus Lenchantin de Gubernatis, horatiantis carminibus, epodis, carmini saeculari edendis explicandisque tribuitur.

Quod ingenue ipse auctor in praefatione fatetur, horatianus textus nonnullos adhuc exhibet locos a viris doctis in magnam controversiam vocatos, neque omnino expeditos. Magna ideo cura codices ab eodem conferuntur et inter se comparantur.

Perquam erudita tractatio latino textui praet. in qua dilucide de Horatii codicibus, de ratione codicum et editionum, de orthographia, de vita Horatii, de re metrica et prosodia horatiana. Quibus adduntur notae de praecipuis Horatii editionibus; recensentur editiones praecipuae, vernaculis adnotationibus instructae, adhibeturque conspectus operum, quae in carminum et vitae Horatii apparatu critico afferuntur.

Altero autem volumine sermones, epistulae. Ars poetica continentur. Praefatio praeponitur atque operum conspectus quae in Horatii sermonum, epistularum artisque poeticae adparatu critico adferuntur.

Textus adparatusque criticus, utroque in volumine, unice studiosis vatis Venusini commendantur.

Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum, ut notum est, de latinitate adhuc bene meret.

PHILOPONUS, C. M. F.

KUNZE, EMIL. — VII. *Bericht ueber die Ausgrabungen in Olympia*. Mit Beiträgen von E. Goette, Ch. Habicht, A. Mallwitz, F. Willemsen. Fruehjahre 1956 bis 1958. Verlag Walter de Gruyter et CO., Berlin W 30.

Explicantur hic excavationes Olympiae, superioribus his temporibus habitae. Magnae quidem molis et artis technicae opus, in quo et labor typographorum liquido patet et sapientium doctrina admodum effulget. Prima autem explicatio, a Doctore Kunze exarata, est de excavationibus verno tempore habitis, ab anno 1956 ad 1958 (pp. 1-28).

Tum agitur de architectura domus erilis, auctore A. Mallwitz (pp. 29-55). Postea de corinthiacis galeis cassidibusque, de quadam aerea casside ex persica praeda, de parvo plastico aereo (pp. 56-180). Deinde explicatioes exhibentur, quas scripserunt Doctores

Willemsen, Goette, Kunze, Habicht, his inscriptionibus: *Ein frucharchaisches Dreifussbein* (pp. 181-195); *Eine lakonische Schale* (pp. 196-206); *Eine Urkunde der Stadt Sybaris* (pp. 207-210); *Zwei Marmorstellen des arkadischen Bundes* (pp. 211-217); *Inscription des periodoniken Leon* (pp. 218-224).

Appendicis instar octo et octoginta tabulae pictae exstant, summa artis graphicae monumenta. Neque id praetereundum, toto operis contextu alias centum picturas hoc luculentum opus exornare. Haud injuria tali opere, cum scriptores tum «Institutum archaeologicum germanicum» maxime honestantur et honore cumulantur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

POEHLMANN, EGERT. — *Griechische Musikfragmente*. Ein Weg zur altgriechischen Musik, Verlag Hans Carl, Nuernberg, pag. VI-84.

Hic habes, lector, quasi viam, ad quidquam saltem delibandum de arte musica apud pristinas gentes graecas. Octavum hoc volumen in editionibus Professorum Universitatis Erlangensis, — quibus illa germana inscriptio: «Erlanger Beitrage zur Sprach- und Kunstwissenschaft» — a Domo Editrice «Hans Carl Verlag» in vulgus editis.

De re non nullis praehabitis in praefatione triplicem in sectionem hac ratione proponitur argumentum: I De ratione scripta notarum musicarum apud Graecos (pp. 5-6). II. Melodia et Rhythmus musicorum fragmentorum (pp. 17-48). III. De interpretatione fragmentorum musicorum pristinarum gentium graecarum. (pp. 49-71).

Lucubrationis tandem argumentum complent atque perficiunt non nullae paginae in quibus breviationum index, bibliographicae notae, nomenclatura omnium musicorum fragmentorum, graphica ratio monumentorum de arte musica apud antiquos Graecos. Liber hic summae quidem eruditionis studisque tenacis de usu et cultu musices apud antiquos.

PHILOPONUS, C. M. F.

N. E. COLLINGE. — *The Structure of Horace's Odes*. Oxford University press, London. pag. XII-160.

In praestantibus Universitatis Durhamensis editionibus, hoc opus praeclari latinitatis Professoris N. E. Collinge, opportunum locum tenet.

Quattuor in partibus tota res aptius disponitur. I. Verba et imagines: tamquam mechanicam sermonis horatiani delineationem diceres (pp. 1-35). II. Contrarium vel diversitas technica: quidquid ad odarum ordinem pertinet, in trutinam refertur (pp. 36-55). III. Contrarium vel diversitas technica: Cogitationis structura in ipso odarum contextu. Huic capiti additur appendix, de cogitationis structura in eo quod ab auctore nuncupatur: «responsive» et «combined» odes (pp. 56-127).

IV. Extremum caput omnino exercitationis est; exercitatio comparationis in Oda ad pompejum (pp. 128-150). Exstant denique indices nominum propriorum, indices carminum memoratorum ex opere horatiano litterario. Liber est magnae eruditionis in declarando atque explicando numine horatiano.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

VERDIER, R. L. — *Exercices pour le Cycle d'observation*. Hatier, Paris 1961, pag. 144.

Inquirendum est parentibus atque magistris de aptitudine puerorum qui primas litteras superarunt, priusquam alia studia aggrediantur. Hanc ut reperiamus aptitudinem R. L. Verdier seriem exercitiorum pueris gallis offert. Hoc libro exercitationes, quaestiones variis rationibus paratae continentur in quibus conficiendis puerorum ingenium et aptitudo ostendetur.

Quaedam sunt imagines photographicae, textui accommodatae, quae solacium et pensum alumnis praebeant.

In exercitationibus tamen conficiendis alumni a magistris semper duci debent, hac enim ratione liber exaratus est hacque una tantum condicione eorum aptitudo cognosci poterit.

C. LATORRE, C. M. F.



## SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Preterea ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA - 10

Constat in Hispania et America Hispanica: 25 pesetis; in Gallia: 3'50 francis; in Italia: 350 libellis; in Germania 2'5 marcis; in reliquis civitatibus: 0'80 dollaris.

ANN. IX — (FASC. III) — N. 35

M. SEPTEMBRI

A. MCMLXIII

### Josephus, puerulus pauper, telegramma ad Deum mittit

Vivebat ruri in viculo cum uxore et puerulo Josepho operarius. Erat pauper et subinde non habebat unde familiam sustentaret. Casa, ubi habitabat, erat vitiosa et ruinam minabatur. Nocte quadam cum puerulus oculis apertis et stomacho vacuo in duro stramine cubaret, matrem dulcissimam in patris aures susurrantem audivit: «Quomodo infantulum, quem Deus nobis est daturus, nutriemus, cum non habeamus, unde Josephum satiemus?» Audivit quoque patrem, hominem manibus callosis, matrem blande consolantem: «Spes bona est me mox iri occupatum, quo plus mercedis accipiam. Tum omnes nos bene habebimus neque amplius esuriemus».

Sciebat Josephus expertus, quam esset durum famem acerbam explere non posse, neque eum latebat parentes egenos esse neque iis licere panem recentem ac mollem, sed veterem et durum eumque pretio parvo emere. «Curnam», animoolvebat, «loco tam humili nati sumus? Cur alii divitiis abundant, cum

nos rebus vel necessariis ad vivendum egeamus? Displicet mihi mundus hic». Inde factum est, ut pavere inciperet nec alios amicos haberet quam matrem, erga quam tenero erat affectus amore, patrem, parochum senem, Deum; sed hic procul aberat, sursum in caelo.

Quamquam Deus procul erat, tamen parochus prope, in casa parva juxta aedem sacram. Ideo die quodam Josephus parochum invisit. «Pater et mater», voce blanda inquit, «non habent pecuniam, qua infantulum, quem a Deo accipient, nutrant; certe esuriet et fame morietur et... «Hic puerulum interrumpit parochus»: «Quare», inquit, «debes multum orare. Nam, si Deus tibi parvulum fratrem vel sororem dederit ipse curabit ut nutriatur».

Quo audito Josephus aedem sacram ingreditur et fervide orat. Orat, ut infantulus sat pastae vermiculatae (*spaghetti*; cibus, quem Itali maxime appetunt) habeat; orat quoque, ne cuniculus venum eat, sicut pater jusserat. Multum

enim hoc dulce animal amat, saepe in sinum accipit et vellus candidum manibus mulcet nec vult ab eo separari.

Josephus post fusas preces dies octo responsum patris caelestis exspectat. Tum: «Quare», inquit «mihi non respondet? Nonne dicitur omnes preces exaudire? Tandem ei in mentem venit esse plurimos, qui cotidie tam multa a Deo peterent... Praeterea Eum tantopere occupari, ut non omnes preces posset simul exaudire. Quare Deo telegramma mittere volebat. Diu animoolvebat quo modo id faceret. Tandem: «Scio, scio» exclamat. Eripit ex libello, quo in schola utitur, chartam et nitidis litteris scribit:

«Mi Deus! Mox infantulum habebimus. Parentes valde pauperes sunt. Praesta, quaeso, ut infantulus sat pastae vermiculatae habeat; non possum ferre eum esurire et frigere. Vivimus in viculo «Arcole» prope Veronam. Gratias tibi ago. Tuus JOSEPHUS SALA».



Tum chartam recte complicat, funiculo circumligat, sumit follem rubri coloris gummeum, quem pater ex nudinis domum tulerat, ad follem chartam funiculo alligat; tum foras egressus — erat domi solus — follem e manibus dimittit. «En», inquit, «follem eo ascendit, quo est Deus». Et diu corde palpitante follem ascendentem oculis prosequitur.

Tres abierant hebdomades, cum mane quodam tabellarius publicus Josephi matri fasciculum tradit ab urbe, Rhodigio (*Rovigo*), quae CXX chilometro distat, missum. Quo admirata mater ad tabellarium: «Per errorem mihi fasciculum das; nam nulli sunt nobis in urbe illa necessarii nec noti ulli. Ergo inde nec epistolam nec fasciculum exspectamus». Cui tabellarius: «Ecce hic nomen filii tui Josephi et inscriptionem justam». Mater paululum cunctata fasciculum in manus sumit, aperit et invenit epistolam in hunc modum: «Dulcissime Josephel! Donum hoc est infantulo futuro destinatum. Vale cum patre et matre».

Commota multum epistolio suavi mater aspicit res omnes, chartis sericis involutas, quibus infantulus indiget: incunabula candida, tuniculam intimam, vestem parvulam et mitellam. Tum subridens Josephus: «Mater», inquit, «Deus omnia haec misit».

«Deus omnia haec misit», repetebat, quotiescumque diebus insequentibus tabellarius novos eosque majores apportabat fasciculos. Quin etiam cunas ligneas, chiramaxium (*coche de niño*), plurima alimenta et tot chartas nummarias (*billetes de banco*) quot parentes nunquam viderant. lidemque mirabantur, quod fasciculi omnes ab urbe Rhodigio (*Rovigo*) erant missi ac multo



magis stupebant tot homines ignotos infantulum futurum novisse.

Tum Josephus subridens se telegramma ad Deum misisse narravit. «Deus ipse, cum Rhodigii esset et infantem aegrotum inviseret, nomen meum et urbis in fasciculis scripsit eosque ad nos misit». Idem tum quoque affirmabat, cum nonnulli vicani dicebant follem rubrum vento esse abreptum et in urbem Rhodigium delapsum. Etiam nunc persuasum habet res omnes tam pulchras ab ipso Patre caelesti esse missas. Fraterculus interim in lucem editus belle vestitus in cunis cubat et vicani pietatem Josephi et confidentiam mirantur, quam divina providentia tot donis remunerari est dignata.

*N. Mangeot, S. J.*

## ZEUXIS ET PARRHASIUS

Zeuxis et Parrhasius, clarissimi antiquitatis pictores, uter eorum melior esset artifex quondam experiri voluerunt. Zeuxis ergo uvae racemos ita expolitos et veri similes pinxit ut aves ad illos, rostro ferendi causa, statim advolarent.

Parrhasius vero linteum tantum pinxit.

Cum vero Zeuxis, a Parrhasio arcessitus, linteum ad tabulam pictam videndam explicaret et levaret, admiratione motus exclamavit: — «Ego caeli aves decepti, tu vero me artificem decepisti. Victor ergo in certamine discessisti». — JOSEPHUS M.<sup>a</sup> — *Barbastri.*

## PLAUTUS

Plautus clarissimus fuit poeta, sed ita pauper et miser ut ad victum quaerendum se pistorem locaverit atque ad molas circumagendas — quae «manuariae» apud Romanos appellabantur — quasi jumentum coactus sit.

Quae res tamen et labor tenebras animo ejus non offudit neque in eo facultatem miramque jocandi virtutem retardavit; tempus enim quod ei dabatur otii, in fabulis scribendis consumere solebat, quarum tres in pistrino scriptas esse dicuntur.

Nescimus quandiu in eo misero pistrino fuerit; constat tamen servitute liberatum esse iterumque in scaena floruisse. — JESUS C. — *Barbastri.*

# SAGUNTUM, URBS OPULENTIS



1. Saguntum, opulentissima civitas, in Hispania, ultra Hiberum flumen, mille ferme passus a mari sita fuit. Ejus incolae non tantum maritimis opibus, seu terrestribus fructibus, seu multitudinis incremento creverat, sed disciplinae etiam sanctitate ac fide, quam quidem usque ad perniciem suam coluerunt.

2. Hannibal, cum ingressus esset fines exercitu suo, agris passim pervastatis, urbem tribus partibus aggreditur. Adversus angulum muri vineas agere instituit per quas aries moenibus admoveri posset. Sed turris ingens imminebat murusque altissimus erat. Ac delecta juvenus, ubi plurimum periculi ac timoris ostendebatur, majore ibi vi obsistebat.

3. Saguntini primo quidem hostes missilibus submovere conabantur; deinde ad erupendum etiam in stationes operaque eorum animus erat; quibus certaminibus haud ferme plures Saguntini quam Poeni cadebant. Cum vero Hannibal ipse, dum murus incautius subit, in femore graviter ictus cecidit, tanta fuga ac trepidatio fuit, ut non multum abesset quin opera ac vineae desererentur.

4. Obsidio deinde per paucos dies magis quam oppugnatio fuit, dum vulnus ducis curaretur. Per quod tempus ut quies certaminum erat, ita ab apparatu operum ac munitionum nihil cessatum. Postea vero acrius de integro coortum est undique bellum, cum jam vix loca opera acciperent. Simul vineae coeptae sunt agi et aries admoveri.

## SIMA AB HANNIBALE DELETUR

5. Abundabat multitudine hominum Hannibal Saguntini vero ad omnia tuenda non sufficiebant Itaque jam feriebantur arietibus muri, quassataeque multae partes erant. Ab una parte urbs fere nudata erat Subito tres turres quantumque inter eas muri erat ingenti cum fragore ceciderunt; qua ruina captum oppidum Poeni crediderunt. Sed iterum in pugnam procursum est velut si novus murus utrosque exercitus tegeret.

6. Aliis quidem spes, aliis vero desperatio animos excitat Poeni cepisse jam se urbem, si paulum adnitantur, credunt. Saguntini pro nudata moenibus patria corpora opponebant, nec ullus pedem referebat, ne in relictum locum sese hostis immitteret. Itaque quo acrius pugnabant, eo plures vulnerabantur, nullo inter arma corporaque vano intercidente telo.

7. Cum diu anceps fuisset certamen, Saguntinis, quia praeter spem restiterant, animi creverunt. Hannibal, quia non vicerat, victum se arbitrabatur. Tunc repente clamorem Saguntini tollunt hostemque in ruinas muri expellunt, inde impeditum trepidantemque exturbant, postremo fusum fugatumque in castra redigunt.

8. Interim a Roma legatos venisse nuntiatum est. Quibus obviam ad mare aliqui missi sunt ab Hannibale qui dicerent nec tuto eos adituros esse inter tot tam effrenatarum gentium arma, nec Hannibali in tanto discrimine rerum Romanorum legatos audire licere.



## AD MARIAM

Hier ist kein Raum vor dich, das Haus ist voll  
 [Gedränge:  
 Varum? Der, den du trägst, dem ist die Welt su  
 [enge.

ANDREAS GRYPHIUS (1616-1664)

Heu te non capit haec taberna. Nati,  
 Quem tu ventre geris Dea creatum,  
 Non est ipse capax, Maria, mundus.

HERBERTUS H. HUXLEY

## AD PUERUM FORMOSUM ICTU FULMINIS EXCAECATUM

Sure 'twas by providence design'd,  
 Rather in pity than in hate,  
 That he should be, like Cupid, blind,  
 To save him from Narcissus' fate.

OLIVER GOLDSMITH (1728-1772)

*In his versibus auctor Dublinensis  
 se poëmatium Hispanicum imitari con-  
 fitetur.*

Dis visum est miseratione motis  
 Vera non odio, puer venuste,  
 Te privare oculis Amoris instar,  
 Narcissi vice ne mala premaris.

HERBERTUS H. HUXLEY

## AENIGMA VERGILIANUM

- a)           + + + I + +  
 b)           + + + N + +  
 c)           + + + E + +  
 d)           I N E R I T  
 e)           + + + I + +  
 f)           + + + T + +

## VESTIGIA:

- a) Cui domus et dulces latebroso in +++++ nidi  
 (*Aen. V*)  
 b) Atque +++++ rex ipse noto compulsus eodem  
 Adforet Aeneas (*Aen. I*).  
 c) Da dextram +++++ et tecum me tolle per undas  
 (*Aen. VI*).  
 d) I N E R I T  
 e) Corpora viva nefas Stygia vectare +++++  
 (*Aen. VI*)  
 f) His dictis curae +++++ pulsusque parumper  
 Corde dolor tristi (*Aen. VI*).

MARTINUS N. HUXLEY

E collegio Sancti Johannis in Academia Canta-  
 brigiensi.

## Litterae tempus diuturnum requirunt

Sapiens quidam Graecus dicebat:  
 «Domum, vestem, agrum, cibum, po-  
 tum emi pecunia; sed artes liberales  
 tempore diutino, labore, studio pro-  
 ducto».

Et Aristoteles philosophus illustris-  
 simus: «Omnia apud nos litteris con-  
 diuntur: seria et ludicra. Inter pran-  
 dium de litteris agitur; cenae littera-  
 rum condimento fiunt lautae; inter  
 ambulandum de litteris nugamur. Ne  
 leviores quidem lusus nostri sunt a  
 litteris alieni. De litteris confabulan-  
 tes opprimit somnus. Dormientium  
 somnia sunt litterae. Experrecti a lit-  
 teris diem auspicamur. Ludere mihi  
 videor, non studere et tamen nunc  
 demum studere me sentio».

Dic mihi, quis unquam de his,  
 qui vitam omnem in litteris consump-  
 sere, senex factus, non doluit sibi ad  
 discendum non plus temporis esse  
 datum? Exiguum enim est tempus,  
 quod vivimus.

N. MANGEOT

## DO-MI-NA-TO-RE

- 1-2 ... in aedibus  
 1-3 ... praemia  
 1-2-3 .. era  
 3-4 ... ilio  
 3-5 ... naso  
 2-3-5 ... minitare  
 1-3-4 ... muneribus ornato  
 5-3-4 ... iterum nato (*dat.*)  
 5-3 ... iterum nata  
 1-3-5 ... dare  
 1-4 ... dotem do

Si syllabas recte ordinaveris juxta numeros ap-  
 positos -qui ex ordine respondent voci do-mi-na-to-  
 re-, facillime verba quaesita invenies.

Celsanae

R. PEREZ



## SOLVITUR ACRIS HIEMS

(HORAT. Carm. 1, 4)

*La feliz vuelta de la primavera  
disuelve el crudo invierno.* [víos;

*Las máquinas arrastran los enjutos na-  
y ni el ganado goza en el establo,  
ni el labrador sentado junto al fuego,  
ni los prados blanquean canos con las*  
[escarchas.

*La diosa Citerea, al filo de la luna,  
organiza las danzas;* [Niñas  
*y las hermosas Gracias unidas a las  
alternando de pie, pulsando van la tierra,  
mientras Vulcano prende*  
*las poderosas fraguas de los Cíclopes.*

*Cómo nos place ahora* [res  
*ceñirnos la cabeza con verde mirto o flo-  
que la mullida tierra ha producido.*

*También ahora nos place* [dos  
*sacrificar a Fauno en los bosques sagra-  
ya pida una cordera o prefiera un cabrito.*  
*Con igual pie golpea, la choza de los po-*  
[bres

*que la real mansión la muerte pálida.*  
*¡Oh venturoso Sextio!* [vida  
*El montoncito exiguo de días que es la  
impide que abriguemos una esperanza*  
[larga.

*Te abrumará la noche, los Manes, puro  
y la mansión estrecha de Plutón;* [cuento  
*en donde una vez entres,  
no obtendrás por la suerte con los dados  
el reinado del vino en los testines.*

FRANCISCO SALAS

Barbastro

VI<sup>o</sup> Curso

Vir Teutonicus admodum doctus quotannis Italiam  
iustrare solebat et ad loca invisenda ab eodem homi-  
ne pauperrimo sed semper hilari vehebatur raeda.  
Tandem cum suprema «Vale» dicto interrogasset, quid-  
nam sibi optaret, vir senex et pius respondit: «Mori in  
pace cum Deo». — N. M.

## IN SCHOLA

Schola seu lectio fuit de pronomi-  
nibus. Antequam discedant alumni, qui  
a se dicta melius retineant, unum inter-  
rogat magister:

— Ludovice, cum ad invicem oppo-  
nuntur «hic» et «ille», quidnam desig-  
nant?

— Domine, hic, id quos propius, ille,  
quod longe est, designant.

— Optime! Audistine omnes?

— Audivimus

— Ergo unusquisque vestrum, post  
exercitia quae in libro habetis, aliquam  
sententiam sponte sua componat in qua  
memoratam regulam grammaticam ad-  
hibeat.

Insequenti die, Alphonsus, docilis  
puer, pensum offert, quod stupens ma-  
gister legit:

«Mane papilionem arripuit frater  
meus Albertus. Hic pulcherrimas ac varii  
coloris habet alas. Ille autem birota  
modo profectus est.

— Alphonse, numquid fratri tuo sunt  
pulcherrimae alicuius et papilio birota pro-  
fectus est?

— Contra, domine.

— Regulam ergo non observasti.

— Observavi, domine, nam hic pa-  
pilionem designat qui prope me erat,  
coram me, super tabulam figula fixus.  
Ille vero fratrem meum qui profectus,  
ut dixi, jam longe a me erat.

GREGORIUS JOSEPH

Fructum maturum in arbore Petrus  
vidit, in quam ascendit et pomum de-  
cerpsit.

Tunc repente custos adest:

— Quid ergo, latrones? — iratus cla-  
mat.

Cui tremens Petrus respondet:

— Vidi pomum humi jacens et ascen-  
di... ut illud in locum suum restituerem.

BAUDILIUS BOLANOS  
li. Cursus alumnus

## EN SUPRA MONTEM...

Musica vulgaris


J. Aramendía latine aptavit




En supra montem luna fulget splenti da



En supra fontem stella lu cet can ti ta



En supra fontem lux co rus cat ful gi da.



TRIANGULUS MAGICUS

- 1) Uxor Caeli et mater Saturni
- 2) Apta quadrigis
- 3) Porculo
- 4) Conjunctio (*versis litteris*)
- 5) Vocalis

P. CODINA

Quidam homo domum amici dormientis noctu adiit et eum interrogavit:

- Dormisne an vigilas?
- Prout res erit.
- Ut me centum pesetas commodes.
- Tunc arte dormio.

D. GARCIA DEL ROSARIO  
li Cursus alumnus  
in Seminario Canariensi

### INFANTILIA

- Librum meum laceravit Antonius.
- Falsum!
- Verum!
- Tu non eras cum ego illum laceravi.

ANTONIUS GIL

li Cursus alumnus  
in Seminario Canariensi

### AD SALTUM EQUI

SIT	DI	FES	SA
BIS	CRA	DI	GAU
UM	HAEC	T	TA
NO	TUM	ES	

Salmanticensis A. COSTA

SOLUTIONES - Cfr. PAL. LAT., n. 182, p. 114 et 118  
PAL. ADUL. p. 2 et 6

Triangulus magicus: T A M A R I S  
A M A R I S  
M A R I A  
A R I S  
R I A  
I S  
S

Ad saltum equi

Ne quis putet se lucrari  
quidquam, si non habeat  
aliquem conscium delicti sui  
(SENECA)

# BIBLIOGRAPHIA

SPRINGHETTI, AEMILIUS. — *Lexicon Linguisticae et Philologiae*. Romae, apud Pont. Universitatem Gregorianam, 1962; pag. 687; pretium L. 6500

Qui litteris operam dant, ac praesertim linguarum studio, commoda norunt lexicorum quibus adjuti vocabula ignota vel obscura, aperta eorum significatione, manifesta nobis fiunt usuque distincte percipiuntur.

Illa vero commoda et virtutes lexicorum gravioris sunt ponderis cum de vocibus agitur quarundam disciplinarum propriis. Quod si notiones lingua latina exprimentae sunt, adjumento auxilloque optimi lexicī plane nobis opus est.

Quare in Congressibus Internationalibus et a multis doctis viris id saepe expetitur est ut non tantum verborum vulgariū lexi- ca conficiantur, sed et lexi- ca comparentur latina quibus voces specialium disciplinarum aperte explicentur: quo rectus probatusque linguae latinae usus in dicendo et scribendo inducatur.

Quod sane perficiendum curavit P. Aemilius Springhetti, S. J., qui — cum magistri honore et opera in Universitate Gregoriana praestet et libris conscriptis —, in fingendis aptandisque vocibus latinis inter principes est sane connumerandus.

In hoc autem lexico non tantum latine redduntur sed et ample explicantur voces quae ad linguisticam, grammaticam, rhetoricam, poëticam, metricam, prosodiam, litterasque spectant, ac vel quae aliarum disciplinarum — ut criticae textus, aestheticae, diplomaticae, palaeographicae, cet. — sunt propriae.

In tanta vero rerum materia ordinanda et enucleanda summo ingenio et dexteritate eminet P. Springhetti.

Praecipua tamen totius voluminis dos et virtus est mentis sagacitas animique consti-

lium et temperamentum quibus tutissima, uti credimus, cl. scriptor progreditur via: nam et antiqua perquirat, et a medio aevo non abhorret et in recentiore latinitate non haesitat: illud veterum et recentiorum scriptorum consilium insequens qui cum certas tractarent disciplinas, addita simpliciter terminatione latina, nova in linguae latinae thesaurum receperunt vocabula. Qua agendi ratione neque corrumpitur neque permiscetur lingua latina, sed ea, qua pollet, vita donatur, quaque reapse viva nunc quaeque dicitur et est.

Qui igitur rectam inquirunt rationem de vocabulis latinis novandis, aptandis, fingendis luculentum in hoc libro moderationis et subtilitatis argumentum habent probatumque documentum.

In quo tamen perpauca irrepserunt menda lyncaeosque cl. scriptoris oculos praeterterunt, quae alia editione delebuntur.

Jos. M. Mir, C. M. F.

CENTRO DE CULTURA POR CORRESPONDENCIA CCC. — *Verba Latina*. San Sebastián.

Prodit jam dudum *Cursus Linguae Latinae* cura «Academiae CCC vulgatus» et a PALAESTRAE LATINAE conscriptoribus, cl. P. J. Mir C. M. F. moderante, accuratissime exaratus. Nunc hic fasciculus additur in quo, lector, omnia verbi latini regularis, irregularis, deponentis, defectivi paradigmata invenies. Fasciculo aliqua praecipua de ipso verbo, de persona, de modo, de tempore, de vocibus, de conjugationibus praeponuntur. Post unumquodque paradigma verba praecipua ejusdem conjugationis notantur. Ad hoc libellum conficiendum auctores verbum latinum diligentissime pervestigavisse mihi videntur.

J. ASPA, C. M. F.

# L A T I U M

## GRAMMATICA

### SELECTI LATINITATIS SCRIPTORES

in singulos Gymnasii classici Cursus,

P. Josepho M.<sup>a</sup> Mir C. M. F. moderante, exarati.

*Prodierunt:*

LUCIUS ET QUINTUS: *Primus Cursus Linguae Latinae*,  
a J. Aspa C. M. F. et J. García C. M. F. conscriptus.

GRAECIA ET ROMA: *Secundus Cursus Linguae Latinae*,  
a J. Sidera C. M. F. et P. Codina C. M. F. exaratus.

ROMA, DOMINA GENTIUM!. *Tertius Cursus Linguae Latinae*.  
a J. Aramendía, C. M. F. paratur.

Qui libri scholares accurate juxta Constitutionem Apostolicam «*Veterum Sapientia*» conficiuntur et ad Seminariorum et Collegiorum alumnos instituendos sunt maxime accommodati.

Editorial Coculsa  
Victor Pradera, 65  
MADRID - 8

---

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F. — *Ciceronis Epistulae Selectae*. «Textos Palaestra». Lauria, 5. Barcelona (10).

Clarus PALAESTRAE LATINAE moderatur, dum difficillima linguae latinae investigare non desinit, ad minora quoque nonnunquam animum intendit. Ciceronis epistulas selectas nuper iterum edidit. Sed libellus novis quibusdam epistulis, primo non editis, nunc augetur. Notulae, in quibus praesertim de re

syntactica agitur, oblectamento lectori erunt tum brevitate tum diligentia qua pertractantur. In primis libelli pagellis tota Ciceronis vita describitur quidque in unoquoque fere anno egerit accurate notatur. In fine vocabularium, optime elaboratum inventes. Libellus tertii cursus alumnis, ut Sanctae Sedis mens in Constitutione Apostolica «*Veterum Sapientia*» luculenter patet, utilissimus erit.

J. ASPA, C. M. F.